donatoris, huic superstiti, etiam ex sola legis provisione actio competit, Vel agendi ad implementum, & quanti interest præstari, Vel donationem resolvi; Quæstione cadente, an donatore eligente implementum, ac observantiam, cogi valeat donatarius ultrà id quod importet dona-
96 tionis emolumentum, vel potius offerendo rei donatæ amissionem, exaudiri debeat, probabiliorque in facti contingentia prior opinio reputata fuit.

Si verò adjectum onus, gratiam tertii percutiat, adeòut cessat ipsius donatoris favor, sivè non urgeat ratio cujus-
97 dam implicitæ ingratitudinis, quæ ità cum eo committi dicatur, non intrat resolutio, sed solum actio ad implementum, nisi aliter cautum sit.

Revocandi etiam facultatem donatori tribuit donatarii
98 ingratitudo, quoties de gratuita donatione agatur quæ beneficium, ac liberalitatem redoleat, secus autem, si de causativa, ob meritorum præmium condignum, vel alteram de præterito, vel de futuro respectivitatem.

Hæc autem respectu ipsius ingrati, vel contravenientis procedunt, atque in ejus præjudicium, aliorumque ab eo
99 causam habentium, non autem aliorum ad eamdem donationem jure proprio independenter venientium, vel alterius interessati, juxtà ea, quæ de causativa donatione spiritualis, vel carnalis matrimonii contemplatione dicta sunt; Nisi implementum fuerit causa finalis, sine qua donatio nullatenùs facta esset, adeòut cessare dicatur ipsa donandi voluntas.

Filiorum supervenientia, puram, & gratuitam, non autem onerosam, seu aliàs causativam donationem resolvit,
100 quatenùs tamen ipse donator eam resolutam esse declaret, & nō aliàs, nisi justa causa hujus declarandi facultatis transmissionem ad ipsos filios hæredes ex remedio extraordinario, vel Judicis indulgeat.

Eatenùs verò huic resolutioni locus est, quatenùs de dicta filiorum supervenientia cogitatum non sit, adeòut juris præsumptio intret, donandi voluntatis exclusiva, si cogitatum esset; Secùs autem si ex verbis, vel aliis circumstantiis constet cogitatum esse; Vel quod accedat renunciatio legibus hanc præsumptionem inducentibus; Vel quod de tali donationis specie agatur, ut quamvis cogitatum esset, adhuc verisimiliter facta esset; Plerisque etiam opinantibus, ut seminarum supervenientia hunc effectum non producat.

Verùm ubi etiam dicta renunciatio, vel expressa mentio, seu cogitatio futuræ prolis accedat, adhuc tamen id non prohibet hanc resolutionem, quando rerum status immutatio verisimiliter non opinata ità suadeat, putà quia donatore tunc sterilem uxorem habente, casus postmodum præbeat, ut illius uxoris mors aliàs concedat nuptias fœcundas, ex quibus verisimiliter non sperata proles obveniat, cum similibus contingentiis, quibus eadem ratio congruat, cum hæc dicatur quæstio voluntatis, cujus verisimilitudo, vel subtantia potius, quam verborum formalitas, vel regularum juris rigor, prudentis judicis arbitrio, pro facti qualitate regulando, attendi debeat.

Quid autem sit de resolutione donationis causativæ ex
101 cessante causa donandi, actum est supra in Rubrica donationis contemplatione carnalis, vel spiritualis matrimonii; seu aliàs causativæ.

Procedunt hæc, supposita jam perfecta, aliasque de sui natura irrevocabili donatione, per quam donatario rei donatæ dominium, vel jus quæsitum sit; Ubi verò quæstio sit imperfectionis, ex qua pœnitendi facultas, vel donatarii
102 exclusio deducatur; Distinctio est, Primò inter imperfectionem resultantem ab inhabilitate personæ donatoris: Secundò à voluntate ejusdem donatoris; Tertiò à donatarii absentia, vel non acceptatione; Quartò ab inobservantia formæ, vel solemnitatis requisitæ in ipso actu ex ejus natura; Quintò à vitio reali bonorum, quæ donantur; Sextò à læsione; Et septimò ab incapacitate, vel alio impedimento personæ donatarii.

Prima imperfectio considerari solita in pupillis, ac minoribus, aliisque imperfecti judicii à jure communi, vel
103 municipali inhabilitatis ad liberè de suis bonis disponendum, fortiùs verò in tutoribus, & Prælatis, aliisque administratoribus, invaliditatem potiùs, quàm revocabilitatem, seu pœnitendi facultatem percutit, eaque peculiaris non est in donatione, sed cuicumque alienationi convenit, magis verò huic utpotè certius perditionem, ac læsionem redolenti.

Secunda imperfectio, quæ deduci solet à voluntate donatoris, aliàs imperfecti judicii, ac habilis ad donandum, dupliciter sub quæstione cadere solet; Primò nempè, quia sit voluntas adhuc in via, non autem in termino, velleitatis potius, vel propositi, quam perfectæ, ac determinatæ volun- 104
tatis speciem habens, sive quod ad alium contractum voluntas sit referibilis, & hæc pariter, necne revocabilitatem, vel resolutionem actus jam perfecti percutit, sed negationem ipsius actus nè unquam extitisse dicatur; Istaque imperfectio in dubio præsumitur, atque donatarii allegantis perfectam donandi voluntatem onus est id perfectè, & concludenter probare, cum probatione univoca, non aurem æquivoca, cum in dubio donatio præsumenda non sit, dataque possibili relatione ad alium minus damnosum titulum, adhuc actus referendus veniat.

Et secundo frequentius, quia de promissione donandi agatur, adeòut adsit quidem perfecta, & determinata voluntas super actu in futurum faciendo; Istoque casu distin- 105
ctio est inter jus, vel præjudicium tertii, ac ipsius promittentis, ut quoad tertium, in quem intermedio tempore ex titulo valido, dominium translatum sit, vel jus quæsitum, promissio de donando vim donationis non habeat, utpotè solùm productiva actionis ad factum, vel implementum, seu ad quanti interest, ut id quod promissum est impleatur; Nisi promissio munita sit hypotheca, ex qua resultet actio rei persecutoria, etiam contra tertium; Cadente quæstione, ubi tertius causam onerosam foveat, an scilicèt ista licèt posterior, alteram lucrativam anteriorem vincat, quod sub concursus creditorum materia cadit, ibique videndum est.

Quo verò ad ipsum promittentem, spectato magis effectu, quam formalitate, volitat axioma, ut promissio de faciendo habeatur pro facto, non quidem, ut apta sit dominium, vel aliud jus verè reale transferre, sed quia ex personali coactione promittentis, idem resultat effectus, etiam in ipsa specie præcisa, ad quam rectè cogi potest, cum regula, ut nemo ad factum præcisum cogi valeat, sed præstando interesse liberetur, procedat ubi ipsum factum præstari non potest, secùs autem ubi est in facultate præstandi.

Tertia est imperfectio, quæ resultat à donatarii absentia, & non acceptatione, super qua apud seniores, majores fuerunt controversiæ, hodie in scholis frequentes, in foro autem penè sopitæ sunt; Ubi etenim de lucrativa, 107
& vera donatione agitur, receptum est, data in reliquis validitate, ac perfectione donationis, istam esse irrevocabilem, atque pœnitentiam excludere, ubi non in puris terminis pollicitationis actus remaneat, sed explicita stipulatione Notarii pro absente munita sit, vel etiam implicita, quæ resultet ab obligatione camerali, vel à verbo *promisit*, seu alio æquipollenti.

Non tamen id suffragatur ad requisitionem dominii, vel juris realis, pro qua necessaria est acceptatio, ideòque intrant eadem quæ respectu tertii in promissione de donando superius dicta sunt.

Nisi infantilis ætas, piæ, vel alterius causæ privilegiatæ favor acceptationem suppleat; Dictamque acceptationem opus non est expresè sequi, vel justificari, cum in gratuitis, ac lucrativis actibus ejus præsumptio resultet ex sola scientia, quæ præsumpta etiam, sive conjecturalis sufficiens reputatur.

Ubi verò onerosa donatio sit, verius est acceptationem requiri, atque interim pœnitentiæ locum esse; Quoties tamen de verè onerosa, & causativa donatione agatur, qualis ad hunc effectum ea est, quæ lucri, vel damni etiam de proprio incertam contineat aleam, secus autem ubi onus donationi admixtum, emolumento non præponderat, adeòut actus certum habeat lucrum, dictumque damni proprii periculum absit; Ideòque facti potiùs, quàm juris hujusmodi quæstiones esse videntur, certam, ac determinatam non recipientes regulam generalem, sed pro facti qualitate, & circumstantiis, particularem habentes decisionem.

Quarta imperfectio ex defectu formæ, vel solemnitatis
actus, nullitatem potiùs, quam pœnitendi facultatem per- 108
cutit, ideòque in solemnitatum Rubrica cadit.

Quinta imperfectio ratione bonorum, duplicem habet inspectionem; Unam scilicèt quantitatis bonorum quamvis indifferentium, liberique commercii, quia nempè omnium bonorum, vel talis partis, quod testandi facultas adempta maneat; Et alteram qualitatis; quia nempè de feudalibus, vel emphyteuticis, seu Regalibus, vel aliis donandi etiam prohibitionem legis, vel hominis habentibus, absque alterius assensu, vel alia solemnitate, Vel quia sit de hæreditate viventis.

Prior

Prior inspectio invaliditatem potius, quam revocabilitatem, vel pœnitendi facultatem percutit, cum universa-
109 lis donatio ipso jure nulla sit, quamvis accedat juramentum, cui, ex magis communi, & recepta sententia hunc defectum supplendi virtus non datur, licèt non desit probabilis ratio dubitandi.

Ut autem ad hunc effectum donatio universalis, vel omnium bonorum dicatur, opus est, ut omnia comprehendat bona, ac jura, & actiones tam de præsenti, quàm de futuro, unde propterea verificetur ratio hujus prohibitionis productiva, tollendi scilicèt facultatem testandi; Ideòque si de bonis fiat, sub istorum nomine, ad subjunendum actum jura, & actiones non veniunt; Atque si de his omnibus, omissa tamen futurorum expressione, ista comprehensa non censentur, sed ad præsentia donatio restringitur.

Reservatio autem ususfructus, vel alicujus partis bonorum sufficit ad hanc universitatem tollendam, ubi tamen adeò congrua sit, quod uno, vel altero casu dicta facultas fatua non remaneat; Cadente quæstione, ubi disponendi facultas ad exercitium non deducatur, an ea quæ reservata sunt cadant sub donatione, vel potius ad donatoris intestatum hæredem pertineant, istaque posterior pars probabilior est, nisi verborum amplitudo, vel aliæ circumstantiæ diversimodè suadeant.

Ecclesiæ verò, vel piæ causæ favor hunc defectum supplet cum rectè pro Deo, ejusque animæ salutæ, de omnibus se spoliare permissum sit; Cadente, ut dictum est quæstione in prophanis, an juris jurandi religio idem operetur.

Altera verò inspectio super prohibitione, ut supra resultantes à natura, seu qualitate bonorum, non est hujus
110 contractus peculiaris, sed quicumque alienationi congruit, ideò sub alienationis, vel obligationis, vel alterius dispositionis genere cadit.

Sexta est imperfectio, quæ resultat à læsione, ex parte donator, ac etiam donatarii allegabili; Quamvis etenim juris regula sit, ut in donatione non detur læsio donatoris,
111 cum inspectus de sui natura læsivus existat, Ad hunc tamen iidem termini cadunt, quando agatur de correspectiva donatione, vel quod alimoniæ donatoris ità præjudicatum remaneat; Illa etiam læsio, quæ consideratur in contractibus mulierum, vel minorum à juribus præsertim municipalibus utilem, vel non damnosam causam exigentibus istam peculiarem donationis materiam non percutit, sed cuicumque alienationi, vel contractui congruit.

112 Ex parte verò donatarii verificabilis quoque est læsio in onerosa, & correspectiva donatione, quando eventus detegat, ut onus emolumentum excedat, adeòut donationis beneficium in maleficium convertatur; Istoque casu frequentiores controversiæ cadere solent super æstimatione vitæ donatoris, vel tertii, cui adimplendum sit onus,
113 quomodo futura incerta vita hominis æstimanda veniat, an scilicet juxtà quandam taxam à lege præscriptam, vel potius pro qualitate personæ, istaque posterior pars est probabilior, ideòque certa, & determinata regula desuper statui non potest, sed pro singulorum casuum qualitate decisio oritur, ut in sua sede.

Septima demum est imperfectio, quæ resultat à donatarii incapacitate, quia nempè sit concubina respectu militis, vel clerici, vel spurius, cui pater donare pro- 114
hibitus sit, aut turpis, vel inhonesta persona, quæ de jure incapax, vel indigna reputetur, sive forensis ex jure municipali prohibitus in loco acquirere, cum similibus, non peculiarem donationis materia, sed quamcumque dispositionem generaliter percutientibus, cum generali etiam distinctione inter indignitatem, & incapacitatem, ut hoc secundo casu dicatur verè actus imperfectus, in primo autem sit perfectus, ac irrevocabilis, suumque sortiatur effectum, fiscus autem ab eo auferat.

VIII.

De obligationibus, ac oneribus donatoris erga donatarium; Et è converso donatarii erga donatorem ex lege, vel conventione.

IN donatore erga donatarium, ultra eam obligationem, quæ donationi connaturalis est, tradendi rem donatam, eamque adimplendi; Alia obligatio sub quæstio- 115
ne cadere non solet, nisi illa evictionis, vel libertatis, aut manutentionis bonorum in eo statu, in quo donata sunt; In hoc autem communis distinctio Jurisitarum est, an donatio à traditione incipiat, & non præstetur evictio, vel à promissione, & debeatur. Verùs autem est, quæstionem esse facti, ac voluntatis potiùs quam juris, ideòque ex verisimili voluntate, quæ ex causa donandi, vel aliis facti circumstantiis desumenda est, decidi debere.

Donatarii verò erga donatorem plures sunt obligationes à legis dispositione resultantes, ultra eas, quas ipsa lex à donatore adjecta secum trahit, præsertim verò illa gratitudinis, ac altera alimentorum donatori indigenti præstandorum, quamvis nimirum raro forus hujusmodi quæstiones audiat, frequentius verò eas obligationes, & onera, quæ à pactis, & conditionibus à donatore adjectis conveniunt, de quibus supra in resolutionis, vel irrevocabilitatis Rubrica.

Onerum autem ipsa bona donata afficientium cujus implementum esse debeat, an donatoris, vel donatarii, putà
centuum, vel servitutum, ac etiam hypothecarum, distin- 117
ctio est, ubi aliud expressum non sit, vel implicitè volitum, quod Aut onus est merè reale, ipsisque bonis infixum, atque cum eis transeat in donatarium, Aut est personale principaliter inhærens personæ donatoris, & fit istius; Cadente quæstione in censu consignativo, an de prima, vel secunda specie judicandus veniat, probabiliusque est esse de secunda, nisi penès donatorem sit onus occasionale, non autem à seipso, & cum ejus personali obligatione principaliter contractum.

An autem collectarum aliorumque publicorum laica-
lium vectigalium onus, quo bona penes donatorem lai- 118
cum præmebantur, transeant in donatarium ecclesiasticum, seu alias exemptum, habetur in Regalium, seu vectigalium fede; Idemque circa decimas, & similia.

Finis Partis Primæ Libri Septimi.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Septimi Pars Secunda,

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

ROMANA CONCESSIONIS AD VITAM PRO ARCHICONFRATERNITATE SANCTISSIMÆ ANNUNCIATÆ URBIS CUM CAROLO RAYNALDO.

Discursus pro veritate super casu sopito per concordiam.

Concessio ad vitam, an importet venditionem, vel potius locationem, seù usumfructum, vel contractum innominatum.

Et re ita concessa pariente ruinam, ad quem spectet onus refectionis: Et an concessionarius possit ex ista causa prætendere restitutionem pretii, vel remissionem conventæ præstationis.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ, & concessio ad vitam qualem contractum continere dicatur.*
2 *Onus refectionis in contractu locationis spectat ad locatorem, secùs in contractu Emphyteusis.*
3 *Idem onus est proprietarii non usufructuarii, qui ad solam curam tenetur.*
4 *Quod concessio ad vitam sit contractus innominatus, contrarium n. 16.*
5 *Contrarium quod sit verus contractus emptionis & venditionis.*
6 *Effectus exindè resultans quoad onus refectionis ruinæ.*
7 *Resolutio casus, & quid in eo agendum.*
8 *Quod non sit locatio, & de rationibus.*
9 *Quomodo distinguatur locatio à venditione, & de unius vel alterius contractus requisitis, & natura.*
10 *In hac materia, substantia voluntatis est attendenda, non figuræ verborum.*
11 *Notarius adjicere potest in extensione clausulas solitas, non autem tangere, vel alterare substantialia.*
12 *Potius est standum capitulis, quàm instrumento, & de ratione.*
13 *De alia ratione, ob quam concessio ad vitam non dicatur locatio.*
14 *Expensæ circa rem incumbunt locatori non conductori.*
15 *Quod dicta concessio non dicatur importare usumfructum & datur distinctio, quando in contractum dicatur deducta proprietas, vel fructus.*
16 *Impugnatur etiam opinio volentium esse contractum innominatum.*
17 *Ad quid teneatur conductor, vel emptor ad vitam seù longum tempus, qui rem manutenere promisit.*
18 *De casibus, in quibus locator vel proprietarius seù concedens ad vitam teneatur ad refectionem ruinæ.*
19 *An obtinens ad vitam habeat jus retractus, vel ei subjaceat, & de aliis remissivè.*

D I S C. I.

1 FACta per Insignem Archiconfraternitatem Sanctissimæ Annunciatæ Urbis concessione cujusdam domus ad vitam Caroli Raynaldi, & Margheritæ uxoris pro pretio scutorum millæ solutorum in pecunia numerata, & cum obligatione faciendi in eadem domo nonnulla melioramenta, consimilem summam scutorum mille, & ultrà importantia, dedit casus quod post mensem, quædam dictæ domus pars, quæ recentior erat ac melior, corruerit, undè inter concedentem, & concessionarium orta est quæstio, cujus periculo hæc ruina cedere deberet, & ad quem refectionis onus pertineret.

Cumque tunc Ego essem dictæ Confraternitatis Prior, atque concorditer veritas inquireretur, in congressu desuper habito dicebam casum novum esse adhùc formiter non discussum; Licèt enim Doctores inseriùs deducendi tractent de hujusmodi concessionibus ad vitam, præsertim in specie Gabr. *cons.*168.*lib.*1. nemo tamen, quantum hucusque mihi, ac aliis in ista controversia hincindè scribentibus perquirere licuit, descendit ad terminos hujus quæstionis, in qua proindè variæ fuerunt opiniones.

Scribentes enim pro concessionario, insistebant in probando, quod hic esset contractus locationis & conductionis cum pensionibus plurium annorum unica vice anticipatè solutis, partim in pecunia, partim verò in melioramentis; Quo posito sequi dicebant, periculum ruinæ spectare ad
2 locatorem obligatum reficere, vel remittere pensionem, cum in hoc diversificent conductor ad longum tempus & emphyteuta, ut primo casu locator teneatur ad refectionem, secùs autem in secundo, ut in præcisis terminis concessionis ad vitam Aretin. *cons.*55. *per tot.* præsertim *nu.* 5. Garz. *de expens.cap.*15.*n.*15.& generaliter Alex.*cons.*5.*l.*1. Caball. *cons.*17. Carocc. *de loc.tit. de expens.nu.*47. Cyriac. *controv.*440. *nu.*8. *cum seq.* Rota *in Romana reædificationis domus* 19. *Aprilis* 1660. Taya edita in causa, de qua *sub tit. de locat. disc.*10.

Aliqui ex doctis I. C. in dictæ Archiconfraternitatis congregatione intervenientibus, credebant esse concessionem usufructus, quo posito, pariter resultabat idem
3 effectus, quod periculum esset concedentis, quia in reficienda domo, cujus unus habet usumfructum, alter verò proprietatem, usufructuarius refectionis curam, ac diligentiam præstare tenetur, impensa verò est proprietarii ad text. *in §. finitur instit. de usufr.* ubi Ricc. *nu.*35. Garz. *expens.cap.*11.*nu.*12.&13.& 28. Gomez. *var. resol. tom.* 2.
4 *cap.*15.*de servit.nu.*7. Gratian. *discept.*778. *per tot.* Castill. *de usufr.cap.*56. *nu.*4. *cum seq.*

Tertia erat aliorum in eadem Congregatione intervenientium opinio, quod hic esset contractus innominatus
4 ex dicto punctuali *cons.Gabr.*168. *quæst.*1.*l.*1. per text. *in l. Insulam* 6.& *l. si tibi areæ* 14. *ff. de præscript. verb.* Roman. *cons.*509. *nu.* 1. & 2. sed nulla indè probabatur de jure consequentia ad effectum periculi, de quo agebatur.

Mea verò opinio erat, quod hic esset verus contractus emptionis & venditionis ad certum tempus, vel casum terminandæ, cum omnia dicti contractus requisita con-
5 currerent, nempè, res, pretium, & consensus, undè propterea inferri dicebam, quod ad hujusmodi concessionarium translatum esset verum dominium, etiam in proprietate, quamvis sub certo casu, vel conditione resolubile, ut punctualiter de concessione ad vitam, ut sit vera emptio & venditio transferrens in concessionarium dominium, itaut hic dicatur verè dominus; glos. *in l. Titia cum testamento*, §. *fin. verbo voluntatem*, ubi etiam Bart. *in principio, ff. de leg.*1. benè Soccin. *in l. qui Romæ, num.* 21. *ff. de verb. oblig.* cui per plures sapientes in Civitate Florentiæ ità consultum testatur Gratian. *disc.*471.*nu.*1.7 & 8. Mangil. *de evict.quæst.*105. Rot.apud Millin. *decis.*446.*nu.*1.5. & 6. & apud Buratt. *decis.*24.& 45.

Quo posito, sequebatur de plano, ut ejus esset periculum, cujus erat dominium, juxtà certa & receptissima
6 juris principia; Non quod concedens posset cogere concessionarium ad reficiendum, sed quod utraque pars, & earum quælibet discretivè, sentire deberet ruinæ casum proportionabiliter & pro sua rata hoc est concedens damnum ruinæ pro futuro tempore, quo domus post concessionarii mortem ad ipsum est reversura quia eam habebit in patte perempta, concessionarius autem pro præsenti tempore durationis sui juris, vel fruitionis ità inutilis.

Unde propterea dicebam, quod vel neuter haberet actionem, itaut relinqui deberet domus in hoc statu, vel quatenus

nus expediens crederetur ad majori ruinæ restantis partis consulendum, illam reficere, id fieri deberetur utriusque partis impensa proportionabiliter, & pro rata juris respectivè ad unamquamque ipsarum spectantis judicio peritorum, hoc est, ut concessionarius concurreret pro rata temporaneæ utilitatis, quam ex novo ædificio, ad ejus, ac uxoris vitam esset percepturus, concedens verò pro rata perpetuæ utilitatis, quam reportare ex eodem ædificio; quod facto casu reversionis deberet alias ex integro facere; Atque ità post longam discussionem, ista veritate per concessionarium cognita, concorditer sequutum fuit, quoniam facta relatione per peritos, quod ad minus necessaria essent ad hujusmodi refectionem scuta mille & ultrà, Archiconfraternitas, inhærendo illi æquitati, quam Ecclesiæ & pia loca præ oculis habere debent, atque commiserando casum, dedit scut. 600. assumpto per concessionarium onere totum plus de proprio erogandi, quod utique tantumdem & magis importabat.

Credebam hanc esse certam veritatem, cum alia contractus species in hujusmodi concessione mihi cadere non videretur; Nullatenus enim dici potest locatio & conductio, quoniam ad istius substantia, ultrà rem & consensum, requiritur merx seu pensio ad text. *in l.*2.*ff.locat.*§.1. *instit.eodem*, ubi Harpercf. *nu.*3.& 12. Rot. *decis.*88. *num.*7. & *per*
8 *tot.par.*2.*divers.* ubi magistraliter agitur, an dari possit contractus locationis absque conventione certæ pensionis à consuetudine saltem subintellecta, de quo in sua materia *sub tit. de locato in Romana locationis fœnilis disc.*16.

Dictaque pensio esse debet in singulos annos, vel singula tempora distributa, quia si unicum pretium pro pluribus annis solvi, vel promitti contingat, tunc non locationis & conductionis, sed emptionis & venditionis contractus erit judicandus, atque hic est verus modus distinguendi locationem à venditione juxtà magistralem traditionem Bartol. *in quæst.* 4. incipien. *Publican.* verb. *solutos &c. num.* 1.
9 *circa med.* vers. *quid vult dicere*, & *in l. cotem*, §. *Qui maximos nu.*3.*ff. de publicanis*, ubi Castr. *num.* 4. Soccin. *cons.* 156. *nu.*1.*vol.*2. Mantic. *de tacit. lib.*5.*tit.*2.*n.*46. Tiraquell. *de retract.lign.*§.1. *glos.*14. *num.* 86. & in individuo concessionis ad vitam Millin. *dicta decis.* 446. *n.*2.

Idque adeò verum Doctores credunt, ut etiamsi verba sonarent in contrarium, adhuc tamen, non verborum sonus, sed substantia veritatis ex dicta distinctione metien-
10 da debeat attendi ex ded.per Tiraquell. *ubi supra num.* 87. Millin. *d.dec.*446.*num.*1.

Et licèt Imola *in cap.propter sterilitatem*, *nu.* 40. *circa fin. vers.sed adverte extra locati*, & alii apud Purpurat.*cons.*501. *num.*5. Mantic. *loco citato nu.* 46. Guttier. *de gabellis q.* 37. *num.* 5. & *seq.* Carocc. *de locat. tit. de similitudine qualitatis* 4.*nu.*7 *fol.mihi* 44. credant hanc distinctionem esse veram, ubi verba sunt æquivoca, secùs ubi partes, unam, vel alteram contractus speciem exprimunt, quasi quod non sit prohibitum ut pensio in locatione necessaria, unica solutione anticipata per plures annos solvatur, vel promittatur, vel è converso pretium emptionis in plures annos, vel pagas distribuatur, ut etiam advertit Aretin. *d.cons.*55. *nu.*5. Attamen quidquid sit de istius assumpti subsistentia, cui obstat gravior auctoritas Bart. Castr. & aliorum apud Tiraquell. *loco citato*, & Rotæ apud Millin. *dicta decis.* 446. Adhuc tamen cessabat applicatio ad casum, in quo partes nullo verbo univoco locationem magis quàm emptionem importante usæ fuerant, sed potiùs verbo *concedere*, quod est æquivocum utrique contractui adaptabile, quo casu omnes proximè allegati concorditer admittunt ad distinctionem prædictam esse recurrendum.

Quinimò si partium verba attendenda sunt, illam proposita facti specie in venditionem potius quàm in locationem sonabant; Licèt enim instrumentum lingua latina prudenter, ex diversis respectibus ad causam non facientibus, ex consilio cujusdam docti I.C. ad id deputati contineret verbum æquivocum, *concessionis*, in capitulis tamen materna lingua conceptis, à partibus subscriptis, ac in eodem instrumento insertis, legabatur verbum venditionis, ibi, *nota di quello, che si obligano fare in una casa che comprano in vita.*

Nil obstante, quod in proœmio instrumenti per Notarium extensi in protocollo, diceretur fieri locationem ad vitam, quia verè stipulatio inita fuit super minuta in substantialibus composita per dictum deputatum, in qua solùm continebatur verbum concessionis, undè subsequentes Notariorum verbositates in extendendo clausulas cæteratas & statutarias solemnitates non poterant alterare substantiam.

Notarius etenim extendere quidem valet clausulas consuetas non autem tangere rei substantiam, ad communiter 11
notat.in cap.cum P. tabellio de fide instrum. Rovit. *pragm.*1. & 2. *de Notar.* Capyc. Lat.*consult. ult.* Buratt. & Adden. *dec.*120. & 507. Atque in concursu instrumenti & capitu- 12
lorum, potiùs ista attendi debent quàm illud, quia capitula dicuntur verba partium, atque in eis consistit substantia voluntatis contrahentium tanquam in originali & matrici conventione, instrumentum verò continet verba Notarii, Pena *dec.*1237.*n.*19.& *seq.* Merlin. *dec.s.* 608. *nu.* 17. Gregor.& Adden. *decis.*168.*nu.*2. & 8. *Romana Casalis Veteris* 4. *Junii* 1655.& 11.*Decemb.*1658. Albergato impress. *decis.*34.& 409.*par.*12.*rec.* & de qua causa *sub tit.de emphyteuf. disc.*13.& 14. & habetur *sub tit.de fideic.disc.*179. Maximè quia, ut dictum est, stipulatio fuit super minuta, instrumentum verò ità extentum fuit ex post facto, itaut partes, dicta verba, nec dixerint, nec intellexerint.

Eoque clariùs dicebam, censeri non posse contractum locationis & conductionis, quoniam concessio non erat ad certum & determinatum tempus, puta decem, vel quin- 13
que annorum, quo casu fortè dici posset resultare certitudinem pensionis ità anticipatè solutæ, quia scilicèt id, quod ab initio unica vice solutum, vel promissum est, saltem imaginariè in plures annos distribui possit; Sed erat ad tempus incertum vitæ dictorum conjugum, quæ poterat ad 20. vel 30. annos protrahi, vel intrà mensem terminari, ideòque nullatenus pensionis annuæ terminus cadere poterat, dum multum vivendo nihil ampliùs solvendum erat, ac brevi moriendo, nihil de soluto repeti poterat, neque hoc secundo casu scuta bis mille dici possent pensio unius, vel duorum mensium, quibus concessio poterat durare, & sic manifesta implicantia in terminis adesse videbatur in asserentibus esse locationem.

Ad idem comprobandum ponderabam pacta, per quæ concessionarii durante concessionis tempore, in se assumperant onus manutenendi & reaptandi domum, muros, tectum, & viam, necnon solvendi taxas & contributio- 14
nes pro gettitis, fontibus, & aliis, quæ omnia conveniunt domino, non autem simplici conductori Garf. *de expen. cap.*14.*nu.*15. Cyriac. *controv.*440.*nu.*8. & *seq. dicta Romana reædificationis domus* 19. *Aprilis* 1660. Taja, quæ omnia in simul ponderata ponere videbantur casum in claris; Licèt enim ista non omninò incongruant conductori, qui ex pacto juris dispositionem alterante potest hæc onera in se assumere, ut quandoque practicatum habetur in sua materia *sub tit. de locato*; Nihilominus ubi agitur de contractu dubio, & ad ejus speciem seu qualitatem metiendam, satis pro interpretatione attendenda videntur ea, quæ uni magis quàm alteri conveniant.

Minùs poterat iste contractus dici concessio ususfructus, ut aliqui censebant ex doctrina Bart. *ad hoc allegata* 15
in l. cotem, §. *Qui maximos nu.*8. 13. & 16. *ff. de publican.* Tunc enim ista species cadere potest, quando concessio incipit ab ipsis fructibus, ac circà eos versatur substantia contractus, & in his terminis loquuntur Bart. *ubi supra*, Bald. *in l.*1. *ff de usufr. & litium expen. & alii*, & de eisdem agit Surd. *cons.*155. Secùs ubi concessio incipit ab ipsa, & circà eam versatur substantia contractus, tunc enim etiamsi fiat ad vitam, ac etiamsi dicatur ad usum, vel usumfructum, nihilominus dicitur concessa ipsa proprietas, ac dominium ad certum tempus vel sub certo casu resolubile juxtà glos. *in d. l. Titia cum testamento*, §. *fin. ff. de legat.* 1. Soccin. *in l. qui Romæ nu.*21. *ff. de verb.oblig.* Capyc. *decis.* 188. Gratian. *discept.*471.*n.*7.& 8. Mangil. *de evict. q.*105. Millin. *dec.*466. Buratt.*dicta decis.*24.*nu.*8. & *seq.*& *dec.*45. *nu.*1. & in his ultimis terminis versari observabam ex verbis capitulorum, ibi, *in una casa, che comprano in vita*, & instrumenti ibi, *concessit domum una cum membris &c.* & sic contractus erat substantiatus circà ipsam rem.

Prout neque subsistere dicebam aliam opinionem, quod esse contractus innominatus; Dicitur enim talis juxtà terminus tex. *in Linsulam* 6. & *l. si tibi areæ* 14. *ff. de præscr. verbis*, ubi scilicet quis tradit alteri aream, ut ibi domum construat, ut est propriè casus positus per Bart. *in l. jubemus*, §. *fin. Cod. de sacrosanct. Eccles.* de concessione casaleni cum onere ædificandi domum reversuram ad concedentem post mortem concessionariis, quia cum nullum interveniat pretium, neque pensio, non potest dici venditio, vel locatio, sed aliud nomen habere non potest nisi contractus innominati, *do ut facias*, & hic est casus, de quo agit Gabr. *cons.* 168. *lib.* 1. quia concedens absque aliquo pretio, vel pensione dederat concessionario quasdam parvas

vas domos, ut ibi palatium construeret, ad ipsum concedentem post mortem construentis reversurum, quinimò concedens dederat ad eumdem effectum certam pecuniæ quantitatem; Et nihilominus etiamsi dicendus esset contractus innominatus, nullum tamen subjungebam resultare effectum in proposito restaurandæ ruinæ, quia nullibi de jure cautum est, ut in contractu innominato, qui alteri dat ut faciat, teneatur casum ruinæ reficere.

Non deerant ex Congregationis deputatis, qui juxtà
17 usum profitentium vitam spiritualem, atque pietatem supra justitiam & charitatem, quandoque zelantes pro Ecclesiis, ac piis locis, contra privatos tenaciter, ac asperè judicando, credebant concessionarios ad integram refectionem teneri & cogi posse, stante pacto manutenendi domum ejusque muros & tectos, omnesque necessarias restaurationes faciendi; Sed magis communi voto hæc opinio rejecta fuit, quoniam hujusmodi pacta intelligenda sunt de simplicibus ac ordinariis resarcimentis de rei natura faciendis, ad occurrendum ruinæ, quæ (nisi fiant) per imprudentiam potiùs, quàm casum fortuitum sequi dicitur, & ad quæ usufructuarius, fideicommissarius, vel similes tenetur, secùs autem ad integram refectionem totalis ruinæ ex casu merè fortuito & inopinato contingentis, ut erat in præsenti, dum ista erat modernior, ac melior pars domus, in qua nulla futuræ ruinæ inditia cernebantur, ut ità distinguendo observat Garz. *de expen. dict. cap.* 14. *n.* 12. *& seq. & nu.* 27. *cum seq.*

Non omittendum tamen, quod ubi etiam de locatione
18 ad vitam, seu de concessione usufructus ageretur, itaut locatoris, vel proprietarii, de natura contractus, esset onus refectionis, adhuc tamen intelligendum veniret discretè, quatenus nempè cum moderata impensa proportionata interesse concessionarii sequi posset, secus autem ubi absque magno sumptu, & incommodo non posset expleri, cum tunc aliud conductor prætendere non posset, nisi remissionem pensionis pro rata, & usufructuarius titulo oneroso, nonnisi id, quod interest ruinam non refici; Durum enim, ac irrationabile videretur, ut locatio ad vitam vel concesso ad usumfructum palatio Farnesiano, si chasmate periret, cogi deberet concedens pro solo temporaneo interesse conductoris, vel usufructuarii, construere ex integro palatium adeò insigne nonnisi Regiæ, vel Pontificiæ potentiæ congruum cum similibus: Et cum supradicto temperamento credebam in præsenti controversia, justitiæ, ac æquitati esse insimul benè consultum.

In proposito autem hujus concessionis rei ad vitam quid importet, & an concessionarius habeat retractum acti-
19 vum, vel subjaceat passivo: Et an iste contractus per Ecclesiam, vel locum ecclesiasticum alienare prohibitum fieri possit sine beneplacito Apostolico, itaut obstet necnè *Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* habeatur actum *sub tit. de servitut. ad materiam retractus disc.* 74.

ANNOT. AD DISC. I.

De materia concessionis ad vitam videri poterunt deducta *sub titul. de Servit. discur.* 74. *&* 109. *titul. de Donat. discurs.* 61. *& titul. de Hæred. discurs.* 34. ubi quod facta per unum ex hæredibus, ejus damno, non autem aliorum cohæredum cedere debet diminutio pretii resultans ex dicta servitute ad vitam.

Quomodo autem vita hominis æstimanda sit, notatum est *ad disc.* 54. *de Donat.*

BONON. EMPTIONIS PRO SCIPIONE BALDO CUM N. ALDOBRANDO.

Casus disputatus in partibus, incertus est exitus.

An post exequutionem & subhastationem, antequam sequatur deliberatio, possit debitor rem subhastatam vendere, & dominium in emptorem transferre in præjudicium licitatoris, quoties nullum adest præjudicium creditoris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Emptor quamvis subjectus retractui interim est verus & perfectus dominus.*
3 *Conductor non potest ejus auctori refricare quæstionem dominii ex jure supervento, & quando.*
4 *Debitor post factam executionem antequam ad ejus totalem executionem deveniatur, potest solvere debitum.*
5 *Decretum vel mandatum de deliberando non sufficit ad translationem dominii, nisi sequatur deliberatio.*
6 *Ante sequutam deliberationem debitor potest vendere rem exequutam & subhastatam.*
7 *De ratione.*
8 *Quare introductus est terminus ad reluendum, & qualis sit iste terminus.*
9 *Favore pupilli, vel minoris admittitur novus oblator etiam post lapsum terminum ad reluendum.*
10 *An & quando post sequutam ultimam oblationem & lapsum dictum terminum admitti possit, vel ne novus oblator.*

DISC. II.

Exequuta quadam domo ad instantiam creditorum, illaque posita subhasta, majorem oblationem fecit Aldobrandus, qui eamdem domum conductam retinebat, sed 1
antequam ad deliberationem deveniretur, debitor ad effectum satisfaciendi eisdem creditoribus, ad quorum instantiam subhastatio facta erat, curavit eam pro majori pretio, & cum melioribus conditionibus vendere prout vendidit Baldo, adversus quem petentem ab Aldobrando conductore se recognosci in dominum cum obligatione solvendi pensiones debitis temporibus, de duobus iste excipiebat, primò de invalida venditione facta per debitorem postquam exequutionem ac subhastationem passus fuerat, & secundò de jure prælationis sibi competente, vel tanquam creditori censuario in vim *Bullæ Pii*, vel tanquam vicino in vim Statuti, & introducta causa coram Auditore Generali Bononiæ, requisitus ad scribendum pro Baldo; Quatenùs pertinet ad secundam exceptionem, planum dicebam ad effectum, de quo agebatur, eam esse irrelevantem.

Emptor enim rei, quæ retractui subjecta prætenditur, donec ille sequatur, dicitur verus & perfectus dominus ac 2
possessor quamvis sub dubio revocabilitatis Tiraquell. *de retract. lignag. §.* 12. *gl.* 1. *n.* 1. *& §.* 15. *glos.* 2. *n.* 3. Rovit. *pragm.* 1. *de jurib. & exact. fiscal. n.* 81. *cum seq.* Buratt. *dec.* 677. *nu.* 1. *&* 2. Millin. *dec.* 446. Hoc autem posito, cum emptor personam venditoris in omnibus repræsentet, non potest conductor suo auctori, vel eum repræsentanti quæstionem dominii & possessionis refricare, negando recognitionem in dominum, & solutionem pensionis, quoniam esset spoliare de facto ex prætenso novo titulo turbido, qui prius est 3
canonizandus in judicio ordinario per tres conformes ad communiter *notat. in l. si quis conductionis, C. locati*, Merlin. *decis.* 376. *ubi de consimili causa Bonon. & in alia Bonon. bonorum* 11. *Martii, &* 28. *Junii* 1647. *coram Otthobono inter suas dec.* 105. *&* 121. Receptum enim est dispositionem text. *in d. l. si quis conductoris* procedere in omni casu, quo quis rem ab alio habuit, ut ad talem ætatem colligunt add. *ad dec.* 240. *par.* 4. *rec. tom.* 2. *nu.* 50. *& seq.*

Duplicem enim personam Aldobrandus repræsentabat, unam conductoris, & alteram vicini seu creditoris prætendentis retractum prælativum, ideòque jura ex hac secunda persona competentia, & ut dictum est, judicio ordinario per rem judicatam, vel tres conformes canonizanda, eximere non possunt alteram personam ab obligatione erga proprium auctorem, & nè illi quæstionem dominii refricare posset; Atque judex in hoc nullam habeat difficultatem, quæ proindè restringebatur ad alterum punctum validitatis, vel invaliditatis venditionis, stante quod idem inquilinus erat major oblator.

Sed pariter dicebam istam non subsistere, quoniam juris regula est, debitorem donec ad venditionis suorum bonorum perfectam, ac totalem effectuationem deveniatur, re 4
integra admittendum esse solutionem proprii debiti ad tex. *in l. si residuum, & l. si priusquam, Cod. de distract. pignor. l.* 2. *Cod. debitorem venditionem pignoris impedire non posse &c. cum concord.* per Asin. *de execut.* §. 4. *cap.* 136. *num.* 6. *&* §. 6. *cap.* 31. *nu.* 14. *& seq.* Gratina. *discept.* 708. *num.* 46. Post. *de subhast. inspect.* 17. *n.* 8. *cum seq.* Buratt. *dec.* 735. *nu.* 5. Ratio est clara; quia donec sequatur traditio rei, & solutio pretii creditoribus, debitor non liberatur, sed durat ejus obli-

obligatio, quam proinde per solutionem tollere potest; Ac etiam quia ante sequutam traditionem, dominium non abdicatur à debitore, neque transiertur in licitatorem, itaut
5 non sufficiat decretum, vel mandatum judicis de deliberando, nisi sequatur vera & actualis deliberatio Mangill. *de subhast. q.* 26. *nu.* 19. *cum seq.* ubi concordantes, ideòque
6 interim licitum est debitori rem exequutam & subhastatam vendere, quia adhuc est dominus Bart. *in l. ubi plurè, §. finali, ff. ad Trebell.* Mangil. *ubi sup. quæst.* 190. *nu.* 2. *& per tot. ubi cæteri.*

Potissimè ubi venditio sequitur bona fide, & absque præjudicio creditorum, ad quorum instantiam exequutio facta est, ut ex pretio eis satisfiat, tunc enim cum frequen-
7 tius hujusmodi subhastationes pro minori pretio & cum deterioribus conditionibus fieri soleant, impediendus non est debitor invenire emptorem conventionalem facientem meliorem conditionem ad creditorum etiam commodum
8 resultantem; Atque ad hunc effectum tam ex dispositione, vel intentione juris communis, quàm ex communi stylo, introductus est terminus ad reluendum post jam sequutam subhastationem, qui terminus de stylo Curiæ Romanæ est unius mensis, de jure autem communi præscriptus non est, unde ubi non habetur stylus particularis, residet in judicis arbitrio, quod ubi agitur de bonis Ecclesiæ, vel minoris, interponi non potest in minori spatio 20. dierum ex deductis per Buratt. *decis.* 574. *num.* 10. *decis.* 32. apud Post. *de subhast. decis.* 113. *nu.* 6. *cum seq. par.* 7. *rec.*

Si enim durante termino prædicto, debitor hoc pignus prætorium reluere potest, quoniam eo remanente in terminis pignoris, perseverare dicitur ejus dominium, hinc proindè videbatur nullam subesse probabilem rationem dubitandi, cur dictam venditionem facere non possit infrà terminum ad deliberandum, etiamsi ille statutus esset, multò magis, ac indubitanter, dum neque id sequutum erat, quod dicebam omninò necessarium; Non per hoc enim, quod ex pluribus licitatoribus, unus est major, ac meliorem facit conditionem, sequitur exindè illi deliberationem faciendam esse, quoniam ex facti circumstantiis dari potest, quod illa oblatio, quæ videtur major, esse possit deterior, ac recipi non mereatur, itaut deliberatio facienda sit alteri, qui licèt minorem fecerit, melioris tamen esset conditionis, idcircò requiritur decretum de deliberando, ut ità Judex acceptet oblationem, ac declaret cum ultimum, ac meliorem oblatorem; Et nihilominus neque id sufficit, cum etiam post dictum decretum currat terminus ad deliberandum, eoque elapso requiratur actualis deliberatio, sine qua tanquam traditione, dominium non transfertur.

Clariora hæc reddebantur, Tum quia actus hujus conventionalis venditionis initus fuerat bona fide, ut de pretio magis promptè satisfieret creditoribus, quorum conditio ex venditione pro majori pretio, & cum melioribus conditionibus melior reddebatur, cum difficultas in proposito cadat, quando ageretur de venditione mala fide facta in fraudem paratæ exequutionis; Tum etiam quia agebatur de bonis minoris, vel pupilli, qui erat hæres principalis debitoris, pro cujus ære alieno, exequutio, ac
9 subhastatio facta erat, undè quando etiam lapsus esset terminus ad deliberandum, adhuc admitti debuisset novus oblator, quoniam tutoris vel curatoris negligentia in permittendo labi terminum, novo & meliori oblatore non reperto, præjudicare non debet pupillo, ut per Post. *obser.* 35. *num.* 122.

Ex parte Aldobrandi fundamentum constituebatur in limitatione tradita per Post. *dicta inspect.* 17. *n.* 99. ubi ex auctoritate Rotæ *dec.* 99. *nu.* 11. *apud eumdem*, dicit debitorem non admitti ad solvendum debitum, & disponendum de pignore prætorio post acceptatam ultimam oblationem, ac elapsum terminum datum ad reluendum; Verùm facilis erat objecti solutio ex solo facto, dum terminus ad reluendum nedum lapsus non erat, sed neque statutus, itaut Judex ità oblationem acceptaverit, eumque majorem oblatorem canonizaverit; Et quando etiam id sequutum esset, adhuc licèt *in dicta dec.* 89. apud Post. incidenter dicatur, id quod ipse insinuat, Nihilominus observabam id non esse tutum, quoniam ubi deliberatio actu sequuta non est, pluries Rota tenuit, semper integrum esse majorem oblationem recipi, *ut dec.* 21. post Mangil. *dec.* 584. *p.* 4. *rec. tom.* 3. *& alibi*; Multò magis in præsenti, dum agebatur de bonis pupilli, ideòque ex pluribus dicebam pro actore respondendum esse, incertum autem est quid sequutum sit.

ANNOT. AD DISC. II. & III.

Circa ea quæ concernant materiam subhastationis ac deliberationis respectivè videantur deducta *sub tit. de Judic. disc.* 40. *& tit. de Cred. disc.* 54. *&* 142. *& in hoc tit. de Emptione disc.* 54. Quodque debitor non prohibeatur etiam post exequutionem, & pignus prætorium vendere ejus bona, habetur *sub tit. de Usur. disc.* 24.

ROMANA SEU ALBANEN. DELIBERATIONIS PRO ALOYSIO GREPPIO CUM MARCO ANTONIO DE PONTE.

Casus disputatus in Congregatione fabricæ, & pro Greppio resolutus.

An ille qui venalia exposuit ejus bona subhasta, possit pœnitere, ac nolle tradere bona ultimo licitatori.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An debitor vendere possit bona exequuta & posita subhasta remissivè.*
3 *Ille qui duplicem personam repræsentare potest unam hæredis debitoris, & alteram creditoris, quando hanc secundam tantum, non autem primam repræsentare dicatur.*
4 *An debitor, qui passus est bona judicialiter exequi, & poni subhasta, possit ante sequutam deliberationem pœnitere.*
5 *Quid in subhastatione voluntaria, & non judiciali coacta.*
6 *Quomodo explicari debeat pœnitentia, & quando ab ea recessum censeatur.*
7 *Claudestinæ protestationes in contractibus, vel aliis actibus correspectivis non suffragantur.*
8 *In actibus correspectivis non spectatur quid unus in animo habuerit, sed attendendus est ille utriusque.*

DISC. III.

Defuncta Virginia Agazaria, scripto hærede Hortensio Lutiolo, eique substitutis Monesterio S. Terefiæ, & Societate Rosarii, pluribus piis oneribus adjectis, ob se-
1 quutam dicti Lutioli mortem, prædictorumque piorum locorum repudiationem, fabrica S. Petri vigore ejus facultatum, dictam hæreditatem agnovit, eamque, receptis scutis 400. cessit Marco Antonio de Ponte, assumenti in se onus solvendi debita hæreditaria; Cumque dictus cessionarius hujusmodi implementum de proprio facere non possit, ipseque ex persona propria esset etiam creditor vel legatarius, petiit ac obtinuit ab ejusdem fabricæ judice quasdam domos & vineas in Civitate & Territorio Albanensis (in quibus penè totus assis hæreditarius consistebat) mandari stare sub executione, ac poni subhasta, ad effectum deliberandi majori seu meliori oblatori, ut ex pretio dicta onera adimplerentur, prævia pro dictis actis faciendis deputatione curatoris hæreditati prædictæ, stante proprio ejusdem cessionarii instantis interesse, undè propterea, servatis illis, quæ de jure vel stylo in subhastationibus servari debent, ac solent, cum majorem oblationem fecisset Aloysius Greppius pro pretio scutorum 6025. huic judex mandavit bona deliberari, sed pœnitens Marcus Antonius à dicto decreto appellavit, atque adeundo ejusdem fabricæ Congregationem, obtinuit sibi deputari in judicem secundæ instantiæ unum ex Cardinalibus ejusdem Congregationis cum clausula *sine præjudicio executionis*, undè cum dictæ clausulæ vigore, deliberatarius possessionem bonorum obtinuisset, contrà ipsum dictus de Ponte instituit judicium possessorium reintegrationis, vel manutentionis, quod juxta quotidianam Curiæ praxim etiam adversus possidentem facto judicis competit, quoties istud, nullitatis, vel manifestæ injustitiæ vitio laborat ex latè collectis per Postium *manut. observ.* 12. Buratt. & Adden. *dec.* 169. 185. *&* 375. & alias quotidie, cum nil fortè in Curia fit frequentius, ut in sua materia *sub titul. de judiciis*; Dictæ autem subhastationis plures nullitates allegabantur ratione ordinis malè tenti, ac etiam ob injustitiam, ex eo quòd ipse, ad cujus instantiam subhastatio facta erat, pœnituisset, ideòque eo invito injustè processum fuerit ad deliberationem favore licitatoris.

Quoad nullitatis, utpotè in facto, ac in actis ordinatoriis

riis consistentes (juxtà stylum) nulla fuit adhibita opera Advocati, quoniam causæ Patronus illas cum solo facto superavit; Quaré per judicem restricta fuit difficultas ad punctum juris, an scilicèt dominus bonorum subhastatorum, pœnitendo possit licitatorem excludere, eumque impedire, ne eorumdem bonorum deliberationem obtineat.

Super hoc igitur puncto, pro Greppio deliberatario scribens, ponderabam quod non versabamur in casu, de quo *in Bonon. disc. præcedenti*, quando scilicèt debitor bonorum
2 subhastatorum dominus, reintegra, & antequam perfectus deliberationis actus sequatur, eadem bona per viam conventionalis venditionibus cum melioribus conditionibus distrahit, ut ita facilius, ut plenius ex pretio satisfiat creditoribus, ad quorum instantia subhastatio facta est, cum tunc, vel juris, vel æquitatis ratio ipsi debitori assistere videatur, atq; pœnitentia, justâ & probabilem causam habeat.

Quinimò quod neque eramus in casu, in quo idem bonorum dominus (quamvis sine justa causa) mutato consilio,
3 ac pœnitens, subhastationis effectum impedire vellet, quoniam dictus Marcus Antonius duplicem personam gerere professus est in hoc actu, unam creditoris seu legatarii, alteram verò hæredis, seu cessionarii hæreditatis; Hanc autem secundam personam exuere voluit, dum curavit ad hunc actum deputari curatorem hæreditati tanquam jacenti, Et consequenter, ad effectum, ut dici posset ut ille qui erat bonorum dominus, vel ipsius personam repræsentabat, propositum mutasset, ac pœnituisset, opus fuisset ut dicta contraria declaratio fieret per curatorem hæreditati deputatum, qui in proposito repræsentabat personam hæredis, ac domini bonorum, ideoque nullatenus attendenda erat contraria declaratio facta per dictum Marcum Antonium, cum ipse in hac scena non gereret personam debitoris, ac domini bonorum, quam voluntariè exuerat, curando eam indui per curatorem à judice deputatum, sed repræsentabat solam personam unius ex creditoribus seu legatariis, ad quorum instantiam pro eorum satisfactione subhastatio facta erat, quæ facultas uni ex creditoribus de jure attributa non legitur, cum sola quæstio cadat super ejus competentia ipsi debitori vel bonorum domino, vel ad summum majori parti creditorum, ac in præjudicium minoris partis impediendi deliberationem bonorum subhastatorum, ex prudenti forsan consilio expectandi meliores occasiones, vel meliorem debitoris fortunam quod in præsenti examinare opus non fuit, dum non eramus in casu.

Verùm ubi etiam dictus Actor attendendus esset tanquam bonorum dominus, ad cujus instantiam res subhasta, vendenda exposita fuerit, itaut essemus in casu quæstionis, an post factas jam oblationes pœnitere possit, atque ultimo majori vel meliori oblatori se opponere, ne deliberationem obtineat; Quamvis non desint variantes, illa tamen vide-
4 tur communis distinctio, quæ post Bart. traditur per Joannem de Platea *in l. si tempora n. 2. vers. sed quæro C. de fid. instrum. & jure hastæ fiscalis lib.* 10. & quam sequitur magis communiter DD. congesti per Post. *de subhast. inspect.* 34. *n.1. cum seq.* quod Aut subhastatio est judicialis & necessaria, Aut est merè voluntaria; Primò casu regula est, ut indistinctè cesset pœnitentia, etiamsi non addantur illa verba, *quod dabitur plus offerenti*, atque in hoc sensu intelligendus videtur Thes. jun. *lib. 3. quæst. forens. 101. n. 4. in fine*, nisi actus pœnitentiæ non stet in ejus simplicibus terminis, sed alium bonæ fidei actum producat reintegra, & pendente deliberationis consumatione, quia scilicèt debitor pro majori pretio, ac melioribus conditionibus emptorem invenerit, cum ita magis consultum sit creditoribus, meliusque expletus finis subhastationis juxtà ea quæ habentur *in Bonon. disc. præcedenti*, idque tanquam per limitationē regulæ.

In altero autem casu voluntario, fit distinctio, an in edi-
5 cto seu præconis proclamate exprimatur, quod bona dabuntur plus offerenti, aut non; Si enim exprimitur, adhuc venditor sine justa causa pœnitere non potest, atque militat eadem regula, secus autem si non exprimitur, cum tunc dici possit, quod ille qui proponit edicta, seu curat fieri proclamata, id fecerit potius animo explorandi rei pretium, quam vendendi, itaut non adsit illa obligatio, quam contraxisse censetur cum futuris licitatoribus quamvis incertis, quoties accedit declaratio, quod bona dabuntur majori vel meliori oblatori, ut ita distinguendo habetur per Rot. *decis.* 476. *par. 4. rec.* & per Post. *dictæ inspect.* 34. *nu.* 4. *cum seq. & nu.* 41. *cum seq.*

Applicando autem ad propositam facti speciem, versabamur in primo casu venditionis necessariæ factæ de mandato judicis, contrà debitorem repræsentatum à curatore hæreditatis, ad instantiam ejusdem oppositoris repræsentantis personam creditoris seù legatarii, aliorum etiam creditorum, & legatariorum nomine ita instantis, undè propterea cessante casu limitationis, de qua supra, nullum suberat juridicum fundamentum, cui talis pœnitentia sine causa inniti potuerit.

Omnisque difficultas in proposito cessabat ex facto, dum sequutis, tam subhastatione, quam mandato de liberando ad favorem Greppii tanquam majoris oblatoris, idem oppositor, qui clandestinum revocationis actum fecerat, cum haberet penès se claves domus, eas tradidit, ad ef-
6 fectum, ut deliberatarius possessionem accipere posset, undè propterea resultabat approbatio actus cum recessu à contraria revocatione *ad notat. per Civilistas in l. quoniam §. Julianus ff. rem ratam haberi, & Canonistas in cap. 7. de procur.* Potissimè quia declaratio mutatæ voluntatis facta non erat publicè & reintegra, ut ad hunc effectum requiri etiam in casu licitæ pœnitentiæ firmatur apud eumdem Post. *dicta inspect.* 34. *num.* 12. Ac habemus passim receptum in illis clandestinis protestationibus, quæ in actibus correspectivis per unum ex contrahentibus fieri solent,
7 quoniam in nulla pœnitus consideratione habentur, præterquam in casu metus, & concussionis, istius probatione concurrente ad probandam exclusionem animi, ex iis, quæ habentur *in nullius Baren. pecuniaria prima Julii* 1644. & 26. *Maii* 1646 *coram Cerro*, quarum secunda est *decis.* 348. *par.* 9. *rec.* & alibi sæpius ad materiam textus *in li. qui in carcere ff. de eo, quod metus causa*; Quoniam in actibus
8 correspectivis, in nihilo curatur, quod unus ex contrahentibus in animo habuerit, nisi alteri contrahenti communicetur, & innotescat, ex iis quæ præsertim deducta habetur *in Romana dotis de Bolognettis sub tit. de dote disc.* 17. & in decisionibus in causa editis *coram Bevilaqua* 9. *Junii* 1659. & 10. *Aprilis* 1660. Capyc. Latr. *decis.* 17. *num.* 7. Mantic. *decis.* 270. *in fine*; Ideòque cum justitiæ fundamento judicatum fuit contra actorem, qui acquievit quod sciam.

ROMANA MERCEDIS PRO MUTIO, ET ALIIS ORFINIS CUM BETTIS.

Casus disputatus in Camera resolutus pro Orfinis, & postea concordatus.

Emptio, & venditio quando dicatur perfecta, ad effectus exinde resultantes, illum præsertim, ut emptor faciat fructus suos; Et in specie de venditione sub incerto pretio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De differentia servitii, seu operarum hominum, & animalium, quare pro primis aliquando merx non debeatur, & pro secundis debeatur.*
3 *De servis in proposito assimilandis animalibus.*
4 *Fructus sunt sequela dominii, & pertinent ad eum, cujus esset rei periculum.*
5 *Operæ animalium non dicuntur fructus, sed pars sortis, & de ratione.*
6 *De tribus requisitis substantialibus emptionis, & venditionis.*
7 *Quando ex venditione facta per alium dicatur adesse consensus domini.*
8 *De imperfectione emptionis, & venditionis ob incertitudinem pretii, etiamsi collatum esset ad alterius declarationem, donec ista sequatur.*
9 *De limitatione ubi dicta declaratio remissa non est ad personam certam, sed ad peritos in genere, & quando ea procedat.*
10 *De altera limitatione resultante ab æquitate Canonica.*
11 *Et de altera ubi sequuta est rei traditio.*
12 *De differentia in proposito inter venditionem bonorum stabilium habentium pretium incertum, & victualium vel animalium.*

DISC. IV.

Finito appaltu Thsauraria Patrimonii per Orfinos tento, eoque suscepto per Bettos; Cum Appaltatores 1 præ-

prædecessores remanerent debitores Cameræ in ea pecuniæ quantitate, quæ initio appaltus mutua dari solet pro animalibus, aliisque instrumentis emendis ad illud negotium necessariis, vulgò *Imprestanza* nuncupata, & quæ pecuniæ novis Appaltatoribus dandæ erant, hinc Thesaurarius Generalis auctoritativè dedit dictis novis Appaltatoribus boves, aliaque animalia, & agrariæ artis instrumenta, quæ ibi erant ad prædictos prædecessores Appaltatores pertinentia, quòd sequutum fuit initio mensis Martii; Discordantibus autem deinde dictis antiquis, ac respectivè novis Appaltatoribus in prædictorum animalium, aliorumque bonorum pretio, post electos hinc indè peritos absque effectu, concorditer eorum differentias decidendas remiserunt in Arbitrum, qui de mense Maij eas terminavit, statuendo pretium, aliaque decidendo; Quibus peractis, orta est inter easdem partes nova controversia, super mercede operarum bovum, aliorumque animalium à die traditionis usque ad diem laudi, in qua declarato pretio, ac perfecto venditionis contractu, novi Appaltatores eorumdem animalium domini effecti sunt, cum interim spatio circiter duorum mensium cum dictis bovibus, aliisq; animalibus novi Appaltatoris segetes fecerint, aliaque ad usum dictæ artis necessaria.

Et introducta causa coram Thesaurario, hic pro dictis mercedibus juxta æstimationem peritorum, mandatum ad favorem illorum de Orfinis decrevit; Interposita verò appellatione, & introducta causa in Camera *coram Aquina*, pro dicti mandati exequutione responsum fuit, atque in eadem resolutione persistitum in nova causæ propositione, licèt posteà concordia controversiæ finem dederit, permissaque omnia scribens pro Orfinis, reflectendo etiam ad veritatē, credebam cum justitiæ fundamento prodiisse.

Posito enim in actoribus dictorum animalium dominio, planum exindè resultabat, eorum operas esse reficiendas, non obstante quod aliqua salarii, vel mercedis conventio
2 non accessisset, quoniam non agebatur de operis præstitis ab homine, de quo dubitari posset, an gratuito, & animo captandi gratiam eas præstare voluerit, sive sub spe remunerationis juxtà *decis.* 226. Mantic., undè propterea intraret inspectio, an cessante conventione, concurreret utriusque consuetudo locandi, vel conducendi respectivè, ut ad effectum petendi operarum mercedem regulariter requiritur, ex iis quæ plenè ad materiam colligit *modernus Zacchias de salario*, sed agebatur de operis præstitis ab animalibus, in quibus verificabilis non est talis animus, itaut potius ita dicatur percepisse fructus ex re aliena domino restituendos.

Quinimò etiamsi ageretur de operis præstitis ab eis, in quibus animus verificari potest, adhuc si ille ob defectum
3 potestatis non esset liberè exercibilis, qualis est ille servorum, effectus esset idem, cum cadere non possit terminus præsumptæ donationis, ob quam, cessante conventione, vel consuetudine, regulariter cessat obligatio, undè propterea quamvis super dicta collusione per scribentes pro eis conventis longissimæ regularum, & doctrinarum generalium allegationes retexerentur, contemptibiles tamen erat utpotè extrà propositum.

Punctus igitur disputationis residebat in perfectione emptionis, & venditionis, ex quo scilicèt tempore illa sequuta esset, an initio mensis Martii, quando traditio facta fuit, vel de Mense Maij, quando prævia æstimatione, certificatum
4 fuit pretium, cum hujusmodi fructuum pertinentia ad una vel alteram partem, penderet à dominio, cujus sequela sunt tam fructuum perceptio quam periculum, iniquum enim esset, quòd si contingente in istis animalibus aliquo periculo, potuissent novi Appaltatores illud evitare, dicendo se non dominos, atque interim debuissent in statu malæ fidei, ex re quam sciebant alienam percipere fructus; Potissimè quia isti verè ac propriè, neque fructus dici possunt, sed potius pars substantiæ, quæ ità paulatim consumitur, cum fructus propriè dicatur ille, qui percipitur salva rei substantia, & cujus causa productiva semper, ac perpetuò est eadem, ut frequenter *sub tit. de Regal.* & sub altero *de locat.*; quod non verificatur in animalibus sub hujusmodi operis & laboribus in dies pereuntibus, & quæ dicuntur de rebus, quæ usu consumuntur, ad instar jurium vitalitiorum ex deductis *eod. tit. de Regal. disc.* 35. & alibi.

Super hoc igitur puncto; Scribens pro actoribus dicebam casum videri planum pro imperfectione emptionis, & ven-
6 ditionis, cum istius substantialia requisita copulativè concurrere debentia, consistant, in re, consensu, & pretio, ex quibus duo posteriora deficiebant, cum dictorum animalium, aliorumque boum traditio facta non esset ab ipsis dominis, sed per Thesaurarium tanquam eorum creditorem de facto undè deficiebat consensus.

Verum quando in hoc solo requisito difficultas resedisset, contrà actores probabilius responderi debuisset, quo- 7
niam ex subsecutis constabat de eorum ratihabitione, ac animo vendendi; Accedente præsertim consuetudine, quod prædecessor Appaltator, successori hujusmodi instrumenta appaltus vendere solet, ac etiam verisimilitudine, Tum ratione utilitatis, dum ità eisdem actoribus magis expediebat, Tum etiam ratione necessitatis, qua premebantur restituere Cameræ impræstantiam novis Appaltatoribus ad finem faciendam, Et sic verè istius requisiti defectus non erat considerabilis; Ideòque licèt ego & cæteri pro hac parte scribentes, more Advocatorum, longas allegationes retexeremus, quas pariter è conversò longiores retexebant scribentes in contrarium; Attamen omnia desuper deducta videbantur contemptibilia, & extra propositum, & sic erant de illis copiosis scribentium allegationibus, quas Ego in tabulis pictis dicere soleo, colores absque delineatione seu picturæ ordine, in tabula erogatos.

Imperfectio autem (reflectendo etiam ad veritatem) residebat in tertio requisito pretii, quod nullum aderat, & sine 8
quo perfectus contractus emptionis, & venditionis dari non potest, quamvis de illo conventum esset relativè ad æstimationem seù declarationem ab aliquo faciendam, quoniam ea non sequuta, sivè eo intermedio tempore quo sequatur, contractus remanet imperfectus, neque dici potest ut dominium translatum sit in emptorem juxtà text. *express. in l. fin. Cod. de contrahen. emptione*, cum qua passim procedunt DD., de quibus per Rotam apud Merlin. *decis.* 567. & 605 aliàs 182. & 248. *par.* 6. *rec.*, ubi plenè & doctè materia exornatur, adeòut dici valeant decisiones magistrales in materia, itaque concordantes latè cumulantur & habetur etiam *sub tit. de dote*.

Non negabant scribentes in contrarium regulam prædictam utpotè incontrovertibilem, cum textus sit clarus recurrebant verò ad plures limitationes *in eisdem decisionibus Merlin.* infinuatas, quamvis ibidem rejectas, Primò nempè 9
quod pretii determinatio remissa non esset in personā certam à contrahentibus determinatam, sed in peritos in genere, quibus etiam specificatis, sed non æstimantibus, seù non arbitrantibus, intrat judicis arbitrium pro æstimatione ab aliis peritis facienda, unde propterea conventio ità concepta rectè substinetur ex deductis per Bald. Salicet. Castrens. & alios *in eadem l. finali, de quibus* Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 34., *& dicta decis.* 172. *ex num.* 19. *cum sequen.*

Verum limitatio non intrabat, quoniam quicquid esset in facto, in quo etiam causæ Patroni certabant, an constaret, necnè de hujusmodi conventione super pretio à peritis determinando; Ponderabam id rectè procedere posse ad effectum excludendi pœnitentiam, & nè tali æstimatione nō sequuta, integrum esset, uni, vel alteri parti à contractu recedere, & ne tertio non arbitrante ex defectu potestatis vel voluntatis, contractus diceretur resolutus, ad quem effectum rectè intrat distinctio prædicta, an scilicet certe, vel incertæ personæ æstimatio commissa esset, atque tunc intrat quæstio, an hujusmodi conventio substineatur saltem tanquam promissio de vendendo, itaut intret judicis officium ad cogendum ad vendendum prævia determinatione pretii ex judicio peritorum, ut motivatur *dicta dec.* 172. *n.* 52. *& seq. par.* 6.

Allegabatur secundo loco æquitas canonica, de qua plenè *eadem decis.* 172. *n.* 54. *cum sequent.*, sed facilis erat responsio cum simplici remissione ad eamdem decisionem, ubi 10
radicitùs hæc limitatio eneruatur; Et nihilominus dicebā in omnem eventum ex illa resultare effectum in præcedenti limitatione ponderatum, excludendi scilicèt pœnitentiam seu resolutionem contractus, atque ut uni contrahenti jus competat cogendi alterum ad perficiendum, & adimplendum, undè quicquid esset de veritate in suo casu, talis inspectio extranea remanebat à casu controversiæ, in qua partes concordabant super effectuatione contractus jam sequuta, sed disputatio residebat super intermedio tempore translationis dominii, ad effectus, de quibus supra.

Major igitur, ac pro meo judicio unica difficultas, residebat in altera limitatione deducta ex traditione Azzonis 11
in summa tit. locati n. 1., quam sequuntur *DD. congesti eadem decis.* 172. *numer.* 38., ubi scilicet sequuta est traditio cum tractatus exequtione; Et quamvis respondendo deducerem eadem fundamenta, quę habentur in *dicta decis.* 172.

numer. 39. cum sequen., ut scilicet id exigeret, nedum traditionem, ac fructuum perceptionem, aliosque actus perfectionem denotantes, sed etiam rei in contractum deductæ peremptionem, itaut re non amplius integra, substineatur actus potius ex æquitate, & ne ille, qui rem obtinuit, locupletetur cum aliena jactura, quod in præsenti cessabat, dum boves, alique animalia & instrumenta non petierant, sed extabant, itaut limitatio cesseret ex facto; Nihilominus reflectendo ad veritatem, satis dubitabam de hujusmodi responsionis efficacia, quoniam licèt, præter solitum, casus non dedisset hujusmodi animalium in toto, vel in parte peremptionem, attamen dare poterat, & si dedisset, ex hoc fundamento potuisset venditor prætendere pretii refectionem, quo posito, impossibile erat prætendere operarum, seu fructuum pertinentiam, cum fructus, ac periculum tanquam dominii sequelæ, procedant pari passu, atque ab eodem fonte derivent.

12 Eoque magis augebatur difficultas ratione subjectæ materiæ, quod scilicet, non ageretur de prædiis rusticis vel urbanis, sivè aliis bonis hujusmodi, in communi commercio omninò incertum, sed de rebus in communi commercio existentibus, quæ juxta singularum regionum mores, pretium quodammodò certum, & uniforme habere videntur, tum modica alteratione resultante ab aliqua majori vel minori bonitate, ut aliàs in facti contingentia dicebam de quadam venditione tritici, pretio non explicato, cum subsequuta traditione, ejusque consumptione in parte, occasione disputandi, cujus esse deberet periculum casus in reliqua parte non consumpta contingentis, quoniam cum hujusmodi virtualia vel similia juxta temporum qualitates, certum, ac uniforme pretium à publico foro, seu communi commercio habere soleant parum variabile, idircò, vēditio, ita concepta sub incerto pretio, istud implicitè continere videtur relativè ad illud, quod ex communi usu de facili certificari potest, quod in hujusmodi etiam bonorum specie videtur verificabile, *ut in Neapolitana sub tit. de Regal. disc.* 125.

Verùm difficultas tollebatur ex facto, ex cujus circumstantiis constare videbatur de utriusque partis animo habēdi actum pro imperfecto, donec peritorum æstimatio sequeretur; Sed quia pleræq; aliæ aderant inter istas partes differentiæ in nudo facto consistentes, idcircò post dictas resolutiones actorum favore sequutas, honesta concordia liti finem dedit, ideoque non omninò maturum, ac certum judicium desuper efformatum fuit; Probabilius tamen videbatur, quod rigor text. *in dicta l. fin. Cod. de contrahend. empt.* de quo *in dict. decis.* 576. & 605. Merlin. alias *decis.* 172. & 248. *part.* 6. *rec.* non intraret cum ageretur de animalibus ex communi usu, ac peritorum judicio de facili æstimationem recipientibus etiamsi non extarent juxtà *dec.* 356. *coram Celso cum aliis sub tit. de Regal. disc.* 1.

ANNOT. AD DISC. IV.

QUando venditio dicatur perfecta ratione incertitudinis pretii, vel quando alias sit obligatoria habetur *hoc eod. tit. disc.* 48. ubi an promissio de vendendo ad certum tempus vel in certum eventum, sit obligatoria, ad quod vide notata *ad disc.* 16. *de Donat.* Et quando ratione incertitudinis venditio substineatur vel non, habetur *sub tit. de Usur. disc.* 39.

ROMANA CONCURSUS PRO ANNA PESARONA ET CONSORTIBUS CUM JO: BAPTISTA DE AYE.

Casus disputatus coram A. C., credo, sopitus per concordiam.

An & quando in venditione mercium habita fide de pretio, transeat dominium, in emptorem, ità & taliter, quod venditor concurrat cum aliis creditoribus; Vel è contrà non translato dominio, istius bona vendicet, & creditores vincat.

SUMMARIUM.

1 FACTI *series.*
2 *Venditor, qui sibi non consuluit de reservatione dominii pro pretio, postponitur creditoribus anterioribus etiam in ipsis bonis venditis.*
3 *De limitationibus.*
4 *Cujus sit periculum mercium, quæ de loco ad locum per unum correspondalem alteri transmittuntur.*
5 *In rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, an periculum sit emptoris, vel venditoris remissvè.*
6 *Quid de usu mercatorum in mercibus.*
7 *In materiis mercantilibus deferendum est consuetudini mercatorum.*
8 *De duplicitate personarum in eo mercatore, qui merces alteri transmittit.*
9 *De imperfectione emptionis & venditionis ob deficientem certitudinem pretii an procedat in mercibus.*
10 *Dominium mercium transfertur in emptorem eo ipso, quod bullæ signantur cum ejus marco, seu signo.*

DISC. V.

DEfecto Hieronymo de Pissis mercatore fundacario, sequestratisque mercibus in ejus taberna repetitis, atque formato super eis concursu creditorum; Adversus Annam uxorem, & alios creditores hypothecarios, potioritatem prætendebant Jo: Baptista & socii mercatores Lugdunenses, in quibusdam ballis mercium ab eis Hieronymi debitoris commissione transmissis, ex eo quod non concurrerent tanquam creditores, sed tanquam domini bona propria vendicantes, vincentes proindè quoscunque creditores quantumvis hypothecarios & privilegiatos; Et introducta causa coram A. C. restricta fuit difficultas ad punctum translationis dominii in emptorem, & abdicationis illius à venditore. 1

Hoc enim posito, de consequenti resultabat quod venditor remaneret simplex creditor, etiam in ipsismet bonis vēditis, utpotè de dominio emptoris effectis, ideoque postponendus, nisi de cautela reservationis dominii sibi consulat quod licèt videatur durum, est tamen receptum, ut post antiquiores ab eis relatos latè firmant Amat. *var. resol. cap.* 3 *num.* 40. & 41. Fontanell. *de pacti claus.* 7. *glos.* 2. *par.* 9. *num.* 33. *cum sequen.* Salgald. *in labyrinth. par.* 1. *cap.* 11. *n.* 78. *cum sequen. & par.* 2. *cap.* 24. *num.* 13. & 15. Capyc. lat. *decis.* 24. *num.* 16. *& sequen.* & pluries *sub. tit. de credito* in hac eadem causa *disc.* 23. *& in aliis.* 2

Et licèt hujusmodi conclusio limitetur, vel quando mercium venditio facta est animo habendi statim pretium numeratum, adeout dici non valeat fuisse habitam fidem de pretio, vel ubi emptor dolo venditorem induxerit ad sibi credendum, pretiique fidem habendum, quia nempè esset decoctus, vel decocturus, quod venditori ignotum esset, ut benè post antiquiores habetur ad Gizzarell. *dec.* 40. & 62. Crivell. *decis.* 56. Fontanell. *ubi supra num.* 37. *cum sequen.* Amat. *dicta resol.* 3. *nu.* 45.; Nihilominus cessabat hujusmodi limitationem applicatio ad factum, cum transmissio mercium facta esset, juxtà consuetudinem, habita fide de pretio, infrà certum tempus solvendo, cum tractis, vel cum aliis bonis, quæ ab una provincia ad aliam transmittuntur; Neque dolus in emptore considerari poterat, quoniam ejus defectio provenerat potiùs ex quadam accidentali inopinata molestia criminali, ob quam fugam arripuerat. 3

His stantibus, quoad merces jam extractas à ballis, atque cum aliis in taberna existentibus commixtis, nulla cadebat difficultas pro exclusione dictorum venditorum, qui tanquam simplices chirographarii, cæteris hypothecariis præsertim uxori ex causa dotis absque dubio postponendi erant; Difficultas autem versabatur circa merces adhuc existentes in Dohana in ipsismet sarcinis, seù uallis, adeò ut dici non posset, ut sequuta esset actualis traditio in manibus emptoris.

In hac autem bonorum specie; Scribens pro muliere, aliisque creditoribus, dicebam pendere decisionē à puncto periculi contingentis in hujusmodi ballis, ab eo tempore, quo in Civitate Lugduni consignantur nautis, vel mulionibus sub nomine emptoris seu committentis, usque ad illud in quo ad istius manus obveniant; Ex hoc enim resultat determinatio dominii, cujus sequela est periculum, quod sēper est domini ex iis, quæ in specialibus terminis mercium quæ per viam disrobatæ sint, vel alias pereant, habentur per Rot. Januen. *dec.* 113. & Rotam Romanam *decis.* 208. *post secundum volum. cons. Farin. in Interamnen. mercium* 16. *Martii* 1643. Verospio *Bonon. mercium* 26. *Maii* 1655. & 6. *Martii* 1656 *coram Priolo* impress. *part.* 12. *rec. decis.* 26. & 159. & de qua causa habetur *sub tit. de locato disc.* 11. 4

In hoc igitur puncto, licèt quantum ista occasione videri potuit, non habeatur juris expressa determinatio, atque ejus-

5 ejusdem regulæ generales potius continuationem dominii, ac successivè periculi subjectionem in venditore suadere videantur, quoniam in iis, quæ consistunt in pondere, numero, & mensura, donec sequatur ponderatio, numeratio, vel mensuratio, periculum est venditoris ex juribus litteralibus *in l.* 2. *& seqq. de pericul. & commod. rei vend. cum concord.* de quibus *discurs.* 118 & 125. *sub. tit. de Regalibus ad materiam mineralium*, ubi de limitatione, quando per emptorem stat, quominus recipiat; Attamen ex
6 communi mercatorum usu, receptum est contrarium, ubi præsertim ipsarum mercium pretia taxantur, ut currunt Lugduni, seu in alio loco, à quo, non autem in Urbe se alio loco, ad quem, & de qua distinctione habetur *in Romana trinarum discu. seq.*, adeout, eo ipso, quod merces mensuratæ apponuntur in ballis, atque sub nomine committentis, consignantur nautis, vel mulionibus, ut mandantibus tradantur; periculum sit committentium, seu emptorum, ità implicitè facta mensuratione, vel ponderatione, quando juxtà commissiones datas merces positæ sunt in sarcinis, & traditæ vectori sub nomine, vel signo mandantis, cui directæ sunt.

Idque (reflectendo etiam ad solam veritatem) dicebam es-
7 se satis probabile, non solum ratione communis usus mercatorum, cui in materiis mercantilibus receptum est deferēdum esse Gregor. *dec.* 126. Burat. *decis.* 419. *decis.* 154. *part.* 7. *rec. & sæpius*, sed etiam ex ipsis principiis, seu intentione juris communis, quoniam juxtà eam personarum plu-
8 ralitatem, quæ diversis respectibus in eodem subjecto in jure passim datur, idem mercator loci à quo, cui merces transmittendæ committuntur per mercatorem loci ad quē duplicem personam ità gerere dicitur, Unam venditoris, Alteram verò mandatarii emptoris, cujus vice, ac nomine, à seipso tanquam persona diversa, consignationem, ac mensurationem, seu ponderationem & numerationem recipere dicitur; Ideoquè ex tunc contractus remanet perfectus, atque dominium transfertur in emptorem.

Quod clarius convincitur ex eo, quod idem mercator loci à quo, cui per mercatorem loci ad quem dicta mercium transmissio committitur, ultrà ipsarum mercium pretium ibi currens, obtinet etiam provisiones, majores, vel minores juxtà locorum, vel personarum consuetudines, seu conventiones; Igitur clara est personarum diversitas, ac successivè omnimoda perfectio contractus cum subsequuta traditione.

Scribentes pro dictis mercatoribus Lugdunensibus, ut evitarent translationem dominii, ex qua ut suprà controversiæ decisio pendebat, satis insistebant imperfectione contractus emptionis & venditionis ob deficientem determinationem pretii certi, quod est unum de tribus hujus cō-
9 tractus essentialibus requisitis, cumulando ad id jura & auctoritates, de quibus *decis.* 172. & 280. *part.* 6. *rec.* aliàs apud Merlin. *decis.* 576. & 605. de quibus *disc. præced.*; Sed facilis erat solutio, quoniam ut insinuatum habetur *dicto disc. præcedenti*, id procedit, quando agitur de venditione bonorum habentium pretium affectionis, vel aliàs incertum, quod ex eorum qualitate certificationem exigat; Secus autem, ubi de mercibus, seu victualibus aliisque bonis hujusmodi, in communi, & quotidiano commercio existentibus, cum hæc, ob quotidianam, ac frequentem contractionem, quamdam certam, ac generalem pretii determinationem habere videantur factam à publico foro, seu negotiantium usu, cum modica alteratione à meliori, vel inferiori qualitate resultante, & sic videtur pretium in substantia certum, quale de facto ex tunc certificatur, quoniam mercator loci à quo, qui merces transmittit, illicò correspondalem loci ad quem, in suis libris describit debitorem de pretio prædito, quod ita convenisse, & determinasse dicitur cum seipso tamquam emptoris mandatario ejus fidem sequentis, & quæ fides si violatur pariter actionem mandati, non autem empti, & venditi, ex iis, quæ pluries in sua materia *sub tit. de credito* habentur præsertim *in hac eadem causa disc.* 23. idcòque, tam de consuetudine, quam etiam ex dispositione juris communis, mercium do-
10 minium transferri dicitur in committentem, seu mercatorem loci, ad quem, eo ipso, quod ballæ consignantur nautis, vel mulionibus, cum marco, seu signo, aut nomine ejus, cui diriguntur, ut firmat in specie Gratian. *discept.* 500. *per tot.*, præsertim *num.* 17., ubi respondetur *ad dec.* 6. *pentiæ* ibidem registratam, ac etiam quia ratione periculi minus est pretium, *ut disc. seq.*

ANNOT. AD DISC. V.

DE concursu venditoris pro pretio cum creditoribus emptoris super re empta, ultra deducta in præsenti discursu videri poterunt ea quæ habentur *sub tit. de Cred. disc.* 23. Ac etiam *disc.* 3. 4. & 6. in quibus habetur quomodo idem venditor concurrat pro residuo pretii cum eo qui mutuavit pro solutione partis ejusdem pretii.

ROMANA TRINARUM. PRO PETRO ANTONIO AMBRA CUM N.

Casus disputatus coram A. C. resolutus contrà Ambram.

Cujus periculum mercium, vel bonorum, quæ ab uno loco ad alium transmittunur, an emptoris, vel venditoris.

SUMMARIUM.

1 PEriculum *mercium per viam regulariter est committentis non transmittentis.*
2 *Limitatur, ubi convenitur de pretio currenti in loco ad quem, non autem in loco, à quo.*
3 *An casus amissionis mercium in odium venditoris, seu transmittentis, cadat ejus damno, quamvis aliàs cedere deberet damno committentis.*
4 *Quando occupatio mercium dicatur jure piratico, vel jure inimicitiæ.*
5 *Conclusio, de qua n.* 3. *ampliatur, etiamsi expressè dictum esset, quod merces transmitterentur risico committentis, & quando id intelligendum.*
6 *Declaratur eadem conclusio, & de differentia inter inimicitiam privatam & publicam.*
7 *Susceptio periculi mercium in via antequam sequatur earum mensuratio, vel ponderatio, quid importet.*
8 *Assecuratio non includit damnum datum ab inimicis, ac etiamsi essent publici, putà ratione nationis.*
9 *Declaratur.*

DISC. VI.

CUm Petrus Antonius, cuidam mercatori Florentino commisisset transmissionem notabilis quantitatis trinarum auri ad Urbem, quę per viam disrobatæ fuerunt, 1
orta est difficultas, cujusnam istud periculum esse deberet, & quamvis tam ex communi mercatorum usu, quàm etiam ex juris communi dispositione, vel intentione, periculum sit committentis, ex eo quod mercator loci à quo, duplicem personam gerere dicitur, unam venditoris, alteram verò mandatarii emptoris, itaut ex tunc contractus dicitur perfectus, & successivè periculum casus fortuiti mandantis, nō autem mandatarii esse debeat, ex iis, quæ habentur *disc. præced.*; Nihilominus in præsenti controversia, scribens 2
pro Ambra emptore dicebam, contrarium probabilius respondendum videri, ex ea facti circumstantia, quæ per causę Patronum supponebatur, quod scilicet conventum esset de pretio, prout currebat in Urbe; Hoc enim posito, cum sensu etiam veritatis, planum dicebam, ut periculum esse deberet transmittentis, cum ita cessaret illa perfectio, quæ cum subsequuta traditione consideratur in loco à quo sub pretio ibi currente; Cumque pretiorum alteratio in mercibus de loco ad locum notabilis esse soleat ex ratione expēsarum, vecturæ, necnon periculi disrobationis, vel aliorum accidentium in itinere. Hinc prorsus injustum & irrationabile videtur, ut venditor obtinere debeat majoris pretii commodum sine periculi incommodo, quod est dicti commodi compensativum.

Contrarium verò tam per A.C. in prima instantia, quam per judicem appellationis (Signatura etiam probante) determinatum fuit, potius ex facto, quàm ex jure, quod scilicet non benè probaretur dicta conventio pretii currentis in Urbe, & fortiùs ex eo, quod proxeneta testabatur commissionem datam esse sub risico, & periculo committentis, quo facto cessante, contrarium probabilius judicari debuisset.

In consimili etiam controversia habita inter Carolum Moscatellum aliàs Sanctorum, & N. mercatorem Lusitanum Liburni existentem, coram Camerario Riparum; Cum quædam merces à portu Liburni ad Urbem per mare transmissæ, à quibusdam navibus hispanicis essent occupa-

tæ, atque orta esset controversia, cujus damno dictus casus cedere deberet.

Non dubitabatur, regulam esse contra Carolum, qui merces transmittendas commiserat; Tum ex dispositione juris, vel styli mercatorum ut suprà; Tum clariùs facto, dum in commissione expresse dicebatur, quod merces transmitti deberent risico & periculo ipsius committentis; Verũ istius prætensio fundabatur in eo, quod dictarum mercium amissio, non provenisset à casu fortuito latronum, vel pyratarum, cum dictæ naves Hispanicæ, facta recognitione mercium existentium in navi, quæ controversias merces vehebat, non omnes accepissent, sed tantùm istas tanquam bona inimici, qualem reputarunt transmittentem Lusitanum, & sic non tanquam pyratæ & prædones, quoniam isti idem pariformiter fecissent de omnibus mercibus, & de quacumque alia navi, quam intervenissent, ut egregiè Bart. *in l. in his rebus, ff. solut. matrim.* quem refert, & benè comprobat Riminal. jun. *cons.* 719. *n.* 15. & 19. *per tot.*

Quo posito, dum damnum obvenit ab inimicis venditoris, atque in ejus odium, dicebam, ut ejus esse deberet periculum rei venditæ, quamvis aliàs ubi à mero casu provenisset, esset essemptoris ad text. *in l. si merces, §. Culpa, ff. locati, & dicta l. penul. ff. solut. matrim.* ubi Bartol. *in princip. & in l. cotem ferro, §. Qui maximos n. 7. ff. de publicanis, & in l. stipulatio ista de verborum obligationibus*, ubi Alex. *num.* 15. Jas. *n.* 14. Cuman. *cons.* 185. *n.* 2. Corn. *cons.* 23. *n.* 9. *& seqq. & cons.* 38. *num.* 21. *& seqq. lib.* 2. Riminald. jun. *d. cons.* 719. Castill. *lib.* 3. *controv. cap.* 3. *n.* 31. Mantic. *de tacit. lib.* 4. *tit.* 27. *n.* 38. & 41.

Et quamvis in hac facti specie periculum esset emptoris, non solùm ex dispositione juris, sed etiam ex conventione speciali, dum in ordine dato continebatur, quod transmitterentur suo risico, adhuc tamen id intelligitur de periculo proveniente ex casu, puta à naufragio, vel incursu hostium, seu disrobatione latronum, & pyratarum, non autem unus casus evenit ab inimicis venditoris, & in ejus odium, ut in specie Corn. *d. cons.* 23. *n.* 12. *lib.* 2.

Reflectendo autem ad veritatem, dubitabam de subsistentia motivi, quoniam quicquid sit de quæstione, an ad hunc effectum requiratur, ut inimicitia sit culposa ex parte venditoris, necnè, de quo agunt superius allegati, ac habetur etiam tactum *sub tit. de Regalibus ad materiam mineralium in Romana ferracii disc.* 118. Conclusio prædicta procedit in inimicitia privata, secùs autem in publica & generali ratione nationis, vel subjectionis alicujus Principis juxtà distinctionem Bald. *in cad. l. penult. §. Nam is n.* 2. *ff. solut. matrim.* quam sequuntur magis communiter DD. ut apud Mastrill. *decis.* 164. atque ità servare videtur praxis; Potissimè quia dicta navis Hispanis, quæ merces occupavit, non erat de classe Regis, sed privata & potius pyratica, licèt pyraticam artem non exerceret indistinctè, sed solùm cum inimicis sui Principis, vel nationis, ut frequenter videmus in praxi de navibus Anglicanis, Hollandensibus, & Gallicanis &c. sic dubitabam; Unde propterea ab initio consului clienti, quod curaret se concordare eo meliori modo quo posset, prout sequutum fuit.

Subtilizando autem more Advocati caulæ inservientis dicebam, quod cum ageretur de rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, juris regula est, ut dominium ac successivè periculum in emptorem non transferatur, sed sit venditoris, quam perfectus esset contractus, donec ponderatio, mensuratio, vel numeratio sequatur, *ut toto tit. ff. & Cod. de peric. & commodo rei venditæ*, ubi per plura jura litteralia ità disponitur, & habetur deductum *in d. Romana ferracii, & in Neapolitana grani sub tit. de Regal. discur.* 18. & 125. Et consequenter inferebam, quod illa verba emptoris, *à tutto mio rischio, e pericolo*, dum hic, antequam merces venirent ad urbem, & ponderarentur, seù numerarentur, non erat dominus, aliud non importarent, nisi quandam assecurationem.

Quo posito id intelligitur de casibus fortuitis, non autem de provenientibus ab inimicis onerantis merces & assecurati, sive sint privati, sive sint publici, ut generaliter Bald. *in l. cum proponas, Cod. de nautico fœnore*, Santerna *in tract. de assecuratione par.* 4. *n.* 17. & Rocch. *in notab. de assecurat. notab.* 22. *n.* 67. *cum seqq. post secundum lib. ejus consil.* & magis in specie Stracc. *de assecurat. gloss* 20. *num.* 2. ubi ponit casum in puncto, quod si Veneti concedunt pignorationes contra Anconitanos, & Mevius Anconitanus transmittit merces Alexandriam risico & periculo Titii Bononiensis, qui eas assecuravit, merces verò à Venetis intercipiuntur, periculum non est Titii, sed Mevii; Unde propterea Advocatorum more exagerabam hanc doctrinam tamquam punctualem, omninò attendendam esse ex iis, quæ de doctrinis punctualibus cæteris relatis habentur apud Bertaz. *cons. circ.* 15. *n.* 20. Mart. *voto* 6. *n.* 7. Rot. *dec.* 122. *in fin. p.* 5. *rec.* add. *ad dec.* 20. *p.* 3. *rec. n.* 42.

Verùm attenta veritate parti de more insinuata motivum continebat fallaciam in applicatione, cum procedat in terminis assecurationis, retento tamen præsupposito, quod dominium esset venditoris itaut emptor, non istius, sed assecuratoris personam gereret, cujus contrarium verius erat, dum ab initio, quo merces consignatæ fuerunt nautis, seù vectori, etiam de jure, vel communi usu, dominium ac successivè periculum erat emptoris ut supra, ac etiam *disc. præc.* unde dicta expressa susceptio periculi, erat potiùs major declaratio ejus, quod de jure inerat.

ANNOT. AD DISC. VI.

De periculo mercium quæ ab uno loco ad alium transmittuntur, habetur etiam actum *sub tit. de Locat. & conduct. disc.* 11. *& seqq.* occasione agendi de articulo, an, & quando locator operarum, qui rem aliquam vehendam suscepit, teneatur] de illius deterioratione vel amissione; Et de materia periculi rei venditæ habetur in *hoc eodem titul. discurs.* 52. Et conferunt deducta *sub tit. de Tut. disc.* 16.

De materia autem assecurationis de qua *ex n.* 8. habetur in sua sede *sub tit. de Cred. disc.* 106. *cum plur. seqq. & in eod. tit. disc.* 196. & 167.

ROMANA MENSURATIONIS PRO CAROLO PASSARINO CUM N.

Casus disputatus in foro Capitolino, incertus est exitus.

Vendita vinea, seu alio prædio ad mensuram, infrà quantum tempus ista peti possit, vel potius præscriptum dicatur jus eam petendi.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Referuntur plures opiniones in quæstione, infrà quantum tempus reservata rei venditæ mensuratio fieri debeat.*
3 *An in hac materia obstet mala fides juxtà terminos* text. in cap. fin. de præscript.
4 *In quo dictus text. juris civilis dispositionem alteravit.*
5 *Quando scientia debitoris non obstet præscriptioni.*
6 *Ex lapsu temporis juncto cum observantia, resultat præsumptio sequutæ mensurationis.*
7 *De præscriptione statutaria suffragante etiam principali debitori, & de ratione.*
8 *Quid magis expediat volenti evitare mensurationem, an allegare ejus præscriptionem, seu remissionem, vel præsumptionem, quod sit sequuta.*

DISC. VII.

Facta venditione vineæ usque ab anno 1616. distributo pretio in singulas petias, reservata per emptorem facultate mensurandi; Post longum silentium annorum 44. scilicet de anno 1660. venditoris successor pulsavit successorem emptoris super mensuratione facienda, & introducta causa in foro Capitolino coram primo Collaterali, atque opposita ex parte rei conventi exceptione præscriptionis, ad istam restricta difficultate, requisitus adscribendum pro eodem reo allegante præscriptionem; Dicebam in hoc varias haberi opiniones, quibus omnibus attentis, etiam magis rigorosa, quod adhuc pro dictæ præscriptionis canonizatione respondendum videretur.

Tractant enim quæstionem prædictam Innoc. Ostiens. Abb. & cæteri Canonistæ *cap. per tuas de donat.* ex congestis in materia per Beroum *quæst.* 5. Thesaur. *decis.* 185. Giovagn. *consil.* 71. *libr.* 1. & agit etiam Rota *in Romana afflictuum* 20. *Junii* 1653. *coram Peutingerio*; Aliis volentibus sufficere spatium 60. dierum; Aliis verò unius anni, & aliis plures casus distinguendo tenentibus, quod ubi mensuratio in expressam conventionem deducta est, requiratur præscriptio longissimi temporis 30. annorum; Et demum aliis, ut est Berous *dicta quæst.* 5. cum quo eo relato pertransit Giovagn. *dicto consil.* 71. *num.* 23. ut quoties conventioni accedit juramentum, actio protrahatur usque ad annos 40. Ideòque ubi etiam hæc ultima opinio tenenda esset, adhuc eramus in casu, ac propterea factum dirimebat quæstionem.

Difficultas tamen erat, an obstaret dispositio text. *in cap. finali de præscript.* ita ut durante vita ejus, qui sciebat se mensurationis faciendæ debitorem esse, ratione malæ fidei præscriptio initiata non esset, ut tenere videtur Berous *eadem quæst.* 5. Verùm cum aliquo etiam sensu veritatis dicebam, quod excepto casu deceptionis, seù falsæ assertionis ex parte venditoris, itaut vigeat ratio peccati, in qua fundata est dispositio text. *in d. cap. finali*, minùs tuta, malèque fundata videretur opinio Beroi, quoniam textus prædictus, juxtà veriorem, ac receptam opinionem, nil statuit, neque juris civilis dispositionem alteravit circa malam fidem præsumptam, sed solùm agit de ea mala fide vera, quæ perneceſſe in non adimplente inducit peccatum, & gravamen conscientiæ ob retentionem rei, seù juris alieni, quod in præsenti non videbatur applicabile, dum non promiserat emptor, qui præscriptionem allegabat, aliquid præstare, seù aliud factum positivum, sed venditor sibi reservaverat facultatem mensurandi, cum promissione emptoris refundendi pretium, vel respectivè censum pro ea majori quantitate, quam mensuratio detegeret, undè propterea emptor, stante longissimo silentio, credere potuit alium contrahentem noluisse uti facultate prædicta, illamque remittere voluisse; Et sic lapsus temporis operari dicitur dictam tacitam remissionem, seù renunciationem, cui proindè scientia ejus, cui dimittitur, non præjudicat, ut receptum habemus in præscriptione legatorum facienda per hæredem adversus legatarios per spatium dicti legitimi temporis legata non petentes, quoniam rectè scit hæres, ob notitiam testamenti, cujus vigore ipse hæreditatem obtinuit, se esse debitorem legatorum in eo contentorum, sed quia non tenetur irrequisitus ex parte sua implere, ut tenetur debitor correspectivus, atque in legatarii facultate positum est legatum non acceptare, idcircò esse potuit in ea bona fide, quæ resultat à spe, seù credulitate, quod legatarius non esset acceptaturus, & consequenter non obstante scientia potest præscribere.

Idemque pariter habemus in præscriptione juris redimendi, seù pacti de retrovendendo, de qua *sub titulo de servit. ad materiam retractus, ac etiamfortè hoc eodem tit.* quoniam emptor rectè scit pactum prædictum; quodque ipse est retrovenditionis debitor, & tamen non obstante scientia prædicta, per longissimum silentium præscribit, ex prædicta ratione, quod justè opinari potuit, ut per adeò longævum silentium hujusmodi jus habitum fuerit pro derelicto, ac dimissum, seu renunciatum, cum similibus.

Præterea ponderabam, incongruè quæstionem restringi ad rigorosos terminos præscriptionis, in qua dicta difficultas malæ fidei cadere potest, sed magis de plano emptoris exceptionem fundatam esse in præsumptione implementi ex longissimi temporis silentio resultante, ut habemus in bonis Ecclesiæ, vel similibus absque solemnitate alienatis, quod nullitas non sanatur per lapsum temporis, neque jus vindicandi eadem bona malè alienata, præscribitur per emptorem, seu alium possessorem dictæ nullitatis conscium, ratione malæ fidei, & tamen ex dicto tempore juncto cum observantia resultat præsumptio solemnitatis revalidatoriæ ex deductis per Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 132 Greg. & Adden. *dec* 354. Burat & adden. *dec.* 45. & 120. Adden. *ad dec* 12. *p.* 3. *rec & in sua materia sub tit. de alienat. disc.* 1. & sic quod ità præsumatur mensurationem sequutam esse.

Quod in Urbe clarius comprobari dicebam *ex Statuto* 158. inducente præscriptionem debiti etiam ad favorem ipsiusmet principalis debitoris, in quo ratione male fidei; Impracticabilis est præscriptio ex dispositione *dicti text. in cap. finali de præscript.* quia in effectu non est præscriptio, sed præsumptio solutionis, militans non solum in debito pecuniario, sed in quocumque alio implemento, quod exceptum non sit, ut in proposito præscribendi obligationem reddendi rationes habetur apud Seraph. *dec.* 718. & 730. *& in sua materia sub tit. de credito &c.*

Quamvis autem his terminus præsumptionis esset magis planus, ac facilis, quàm alter præscriptionis; Nihilominus erat minus tutus, ac modicæ operationis, quoniam cum hęc præsumptio à Statuto resultans esset juris tantum, contrariis probationibus, quinimò & fortioribus præsumptionibus elidibilis, ex iis, quæ non semel super hac statutaria præscriptione habentur deducta *sub dicto titulo de credito & alibi*; Hinc de facili hujusmodi præsumptio elidi poterat cum contraria veritate, dum agebatur de mensuratione vineæ, & sic soli non recipientis alterationem, ideòque tutius erat insistere, prout insistebam, in altero motivo remissionis hujus facultatis per hujusmodi longissimum silentium amissæ; Sed quando huic motivo obstaret dicta difficultas malæ fidei, cujus contrarium probabilius credebam; Adhuc tamen probabile remanebat istud motivum præsumptionis, non obstante dicta difficultate, quoniam, stante lapsu temporis prædicti, poterat possessor allegare possibilem additionem alterius terreni aliundè posteà quæsiti, & confusi, vel è contrà diminuti, itàut dicta præsumptio cum contraria probatione convinci non posset; Ignotus est causæ eventus, ut frequenter in Advocatis contingit, præsertim in his Tribunalibus, in quibus eorum interventus est nimium rarus; Puto autem, quod actor acquieverit, dum præsertim exhibita fuit quædam alia absolutoria rei conventi, stante quod post unicam scripturam de causa amplius actum non audivi.

ANNOT. AD DISC. VII.

Quando venditio facta dicatur ad corpus, vel potius ad mensuram habetur infrà *disc* 9. *nu.* 5 *remissivè*. Et ad materiam præscriptionis habetur pluries *sub tit. de Cred. disc.* 129. *& seqq. & sub tit. de Judic. disc.* 21. *per tot.* in quo præsertim advertitur quod magis expediat allegare præsumptionem tituli ex lapsu temporis, quam præscriptionem rarò ad praxim deducibilem.

ROMANA EQUI CUM CARDINALI ACQUAUIVA CUM N.

Casus disputatus coram Camerario, sopitus per concordiam.

De redhibitoria in emptione, & venditione animalium, tam in terminis juris communis, quam de consuetudine Urbis.

SUMMARIUM.

1 *De consuetudine Urbis in materia equorum venditorum, seù redhibitoriæ.*
2 *De consimili consuetudine Neapolis.*
3 *Consuetudo moderatur, si animal extrahatur ab urbe.*
4 *Facti series cum exitu causæ.*
5 *Dicta consuetudo est rigorosa, & exorbitans à jure.*
6 *Periculum est emptoris post perfectum contractum.*
7 *Emptor non potest uti dicta consuetudine nisi cum sua modificatione.*
8 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum.*
9 *Venditor tenetur denunciare emptori defectus animalis.*
10 *Redhibitoria datur etiam in scripturis, & aliis rebus.*
11 *Declaratur id, quod habetur num.* 3.
12 *Quod deferatur doctrinis specialibus.*

DISC. VIII.

Viget in Urbe consuetudo, ut contraria conventione non accedente, venditor equi, vel alterius consimilis usualis animalis, teneatur de quibuscumque defectibus, vel casibus, qui intra spatium quadraginta dierum contingerent, detegerentur, nulla facta distinctione, an defectus provenerit ex causa antiqua, & præexistenti de tempore venditionis, necnè; Similisque consuetudo viget quoque in aliis locis præsertim in Civitate Neapolitana, ut apud Thor. *in compend. decis. tom.* 1. *verb. Equus*; Ista verò Urbis modificata est ab ea circumstantia, quod emptor non potest equum extrahere extra ejus recinctum, ideòque facta extractione extra portas, illa cessat, ut in præsenti causa ex plurium peritorum, ac negotiantium attestationibus justificatum fuit, atque in Tribunali Camerarii, in quibus de his controversiis frequenter agi contingit, supponebatur absolutum.

Cũ igitur Cardinalis Acquaviva emisset equum, ad plures dies compertum defectivum; Hic in dicto Tribunali Ca-

4 Camerarii redhibitoriam intentavit, venditor autem justificata dicta extractione extra portas, excipiebat nullam ampliùs actionem competere; Et quamvis ego, etiam in sensu veritatis, scribendo pro dicto Cardinali, ex infrà scriptis, dicerem, ut, hoc non obstante, dicta redhibitoria intraret, attamen judex opinando, juxta solitum vitium modernum, quod essent ingeniosæ distinctiones, & ratiocinia, insistebat in dicta consuetudine, ac propterea aliquam habebat difficultatem, ob quam, eodem judice cooperante, concordia dedit finem controversiæ.

Distinguendo igitur dicebam, duas in hoc proposito efformandas esse inspectiones; Unam scilicet in puris terminis consuetudinis; Alteram verò ab ea præscindendo, ac si non adesset, vel per expressam conventionem sublata esset in terminis juris communis.

Quando igitur emptor, qui redhibitoriam intentavit, se fundasset in dicta consuetudine, quæ rigorosa est, ac à jure
5 exorbitans, qualem dicit Thor. *ubi supra* dum cessante casu doli, seù defectus jam venditori de tempore venditionis cogniti, certum est quemcumque casum, seu periculum, utpotè sequelam dominii post perfectum emptionis, & venditionis contractum, potissimè verò subsequta traditione,
6 per quam omnis difficultas cessat, spectare ad emptorem, ut *toto tit. ff. & Cod. de peric. & commod. rei vendit.* ac ultrà generalia, de quibus ex Sebastiano de Mediees *in tract. de casib. fortuit.* & aliis habetur præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 118. & 125. firmat in specie Bonacosta *in ejus particulari tract. equorum q.* 503. *& seqq.*

Et tunc admittebam, emptorem dictam consuetudinem dividere non posse, sed illa uti debere cum sua causa, seù
7 modificatione; Licèt enim egressus extra recinctum, vel portas, attenta ratione, respicere videatur magis effectum egressus formalis, ob magnos labores in aliquo itinere, quà egressum materialem in aliquo proximo viridario, adeòut nulla subsit ratio differentiæ, an intrà, vel extra recinctum usus equi habeatur, cum intra ipsum recintum plures existant partes, in quibus animalia majorem sufferre laborem contingit; Attamen quia consuetudo est exorbitans, idcircò non nirum si ejus moderatio, quamvis etiam exorbitans, indefinitè attendi debeat in sola littera, & prout jacet, cum consuetudinis natura sit eam attendere in casu præcisso absque extensione de casu ad casum, vel de loco ad locum juxta vulgatum, ac receptum *consil.* 237. Oldrad. cum
8 concordan. apud Mantic. *decis.* 317. *num.* 4. Buratt. *decis.* 570. *num.* 9. *decis.* 156. 278. & 304. *par.* 12. *recent.* ubi de casu fortuito, de quo habetur actum *sub tit. de benefic. disc.* 30. Et consequenter dicebam, quod ubi emptor se fundare vellet in dicta consuetudine, sibi obstaret exceptio resultans à dicta modificatione.

Verùm emptor non insistebat in consuetudine, sed in sola dispositione juris communis, qua attenta, quoties defe-
9 ctus est antiquus, atque venditori ob diuturnum usum verisimiliter cognitus, adeòut de tempore contractus equus non esset in eo statu, in quo præsuppositus fuit, intrat de jure redhibitoria ex deductis per Peguer. *dec.* 126. Surd. *dec.* 146. ubi Hodier. *in addit.* cum aliis per Rotam apud Millin. *dec.* 180. *repetit. dec.* 136. *post* 2. *vol. consil.* Farinac. ubi de redhi-
10 bitoria etiam in scripturis, vel mercibus, ac apud Thor. in compend. *decis. dicto lib.* 1. *verb. equus*, & apud Ricc. in addit. ad Tiraq. *privileg. piæ caus. cap.* 51. Surd. *d. decis.* 146. *nu.* 4. Apud quos, ac alios apud eos habetur, in nihilo prodesse solitam protestationem vendendi rem pro tali, qualis est, absque alia obligatione, atque ut vulgò dici solet *per un sacco di ossa*, quoniam hujusmodi cautela benè quidem operativa est ad tollendas lites in casu dubio, quando defectus detegeretur de recenti, an scilicèt esset novus, vel antiquus, & an verisimiliter innotesceret venditori, necnè, sive ad evitandas hujusmodi consuetudines, quæ ferè ubique, licèt variæ, adesse solent, non autem ubi expresè constat, defectum latentem innotescere venditori, seu ubi est talis, quod attento diurno usu, quem ipse habuerit, omninò inverisimilis sit ejus ignorantia, quoniam tunc intrat actio doli, quæ cum hujusmodi captiosis cautelis evitabilis non est; Imò quò magis nimiæ cautelæ adhibentur, eo magis crescit doli suspicio pro facti qualitate prudentis judicis arbitrio ponderanda.

Applicando igitur ad rem, dicebam dictam moderationem ob egressum extrà portas nunquam posse plus operari,
11 quàm si nullatenus in rerum natura dicta consuetudo adesset, vel ea existente accederet expressa conventio, quæ frequentius haberi solet, ut illa attendi non deberet, quoniam posito, quod defectus esset antiquus, ac latens (cum in casu defectus patentis emptor suæ ineptiæ totum referre debeat) quodque ille notus esset venditori, ut in facto justificari supponebatur, adhuc dicta actio intrare debet, dicta moderatione non obstante; Sed quia non dabatur doctrina, quæ præcisè descenderet ad contractum factum in Urbe, & quæ loquendo de ista consuetudine, ità distingueret, hinc proindè hæc reputabantur ratiocinia, & acumina, è conversò autem fuisset casus legis, si aliquis insipidus collector, qui magis à casu, quam in discursiva ratione, id assereret, Talis est miserrima deplorandaque hujus facultatis conditio per modernos pragmaticos inducta.

ANNOT. AD DISC. VIII.

De hujusmodi actione redhibitoria nulla supervenit occasio disputandi, nec alibi peragitur.

PERUSINA CENSUS PRO DATTILIS CUM MARCO ANTONIO ALEXIO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus, ut credo pro Dattilis.

De actione quanti minoris, an intret ex eo, quod venditor census illum asseruerit majoris fructus, quam sit, vel potius data ipsius census veritate de jure, & de facto, dicta assertio attendi non debeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Venditor asserens rem magis pretiosam, tenetur ad quanti minoris.*
3 *Declaratur quando id procedat.*
4 *Ex pretii quantitate desumitur quid in contractum deductum sit.*
5 *An venditio censeatur ad corpus, vel ad mensuram remissivè.*
6 *De considerationibus excusantibus venditorem à majori assertione.*
7 *Quando assertio referri debeat errori.*
8 *Observantia est optima interpres.*
9 *De præsumpta solutione contra creditorem negligentem.*
10 *De materia* text. in l. adversus Cod. de usur. *& an procedat in censibus.*
11 *Quod etiam levia sufficiant, ubi plura concurrunt ex regula*, ut singula quæ non prosunt &c.

DISC. IX.

In satisfactionem pretii domus, quam Joseph de Dattilis 1
emerat à Marco Antonio Alexio, huic in solutum dedit quosdam census, enunciatis debitoribus, ac instrumentis, cum mentione anni, mensis, diei, ac Notarii, eos enunciando fructantes quandam summam donantem quod importarent ad rationem septem pro centenario, cum tamen re vera essent ad sex, ad quam rationem dictus cessionarius, donec vixit cedens, absque aliqua protestatione, vel interpellatione exigit; Sequuta vero cedentis morte, cessionarius pulsare cepit ejus hæredes non informatos, ad manutenendum census fructantes assertam summam, alias quanti minoris; Et introducta causam cor. A. C. credo, quod prodierit sententia reorum conventorum absolutoria, quam, scribens pro eis, etiam cum sensu veritatis, dicebam debitam esse.

Non negabam etenim juris propositionem generalem, in qua scribentes pro actore insistebant, ut venditor asserens
2 rem magis pretiosam, teneatur actione de dolo, vel ex illa quanti minoris, ad quanti interest rem esset illius status, vel qualitatis, qualis in contractum deducta fuit, cum quæstio cadat, an exinde intret rescissio contractus, à quo recedere liceat, vel potius competat solum dicta actio quanti minoris, sed ubi emptor ista contentus est, tunc nulla cadit quæstio ex deductis per Surd. *dec.* 165. Greg. *decis.* 119. *decis.* 137. *n.* 7. *& seqq. p.* 5. *rec.* cum aliis per Add. *ad dec.* 10 *p.* 3. *rec.*

Dicebam tamen, id rectè procedere, quando assertio percuteret substantiam, seu qualitatem rei venditæ, quæ diver-
3 sa detegatur, quia nempè vendita sit res aurea, quæ detegatur in toto, vel in parte argentea, vel ænea, cum similibus, adeòut verè, & realiter non habeat in sorte illum valorem intrinsecum, pro quo vendita fuit, cum tunc rectè intret actio

actio doli, ob locupletationem de alieno; Secus autem, ubi nulla alteratio adest in substantia, seù valore intrinseco, atque assertio, quæ detegitur, in parte minus vera, percutit aliquod accidens, quod cognitum, verisimiliter emptorem non retraxisset, desumendo pro judicio arbitrio verisimilem contrahentium intentione; Vel ex propositione, ut ex
4 pretii quantitate desumendum sit quid in pactum deductum esset ex cumulatis apud Gregor. & Add. *dec.* 126. & frequenter in aliis *hoc tit.* Vel ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur apud Mangil. *de evict. quæst.* 104. Surd. *decis.* 64. Gregor. *dec.* 104. & 128. in ea quæstione, an venditio censeatur
5 ad corpus, vel ad mensuram, & an narrata quantitas stet taxativè, vel demonstrativè, ponderanda omnia simul juncta cum consueta regula, *ut singula, quæ non prosunt*, &c.

Applicando autem ad rem; Census in sorte principali, utpotè validi, ac exigibiles, tam de jure, quam de facto,
6 verè habebant illum intrinsecum valorem, pro quo assignati fuerunt, qualitas verò accidentalis majoris, vel minoris redditus utique emptorem non retraxisset, cum esset fructus attento temporum, ac loci conditione satis honestus, ac excedens fructus rei venditæ, pro cujus pretio assignatio facta est.

Et quod magis, ipse venditor, seu cedens non assignaverat hujusmodi census in confuso, sed expresserat debitores, cum relatione ad instrumenta, renuntiando non solum Notarium, sed etiam annum, mensem, & diem; Undè patet ipsum cedere voluisse census, prout erant attento potius relato, cujus notitiam incontinenti emptor cum tot
7 demonstrationibus habere poterat, potius errori, vel oblivioni referri debeat ex deductis apud Surd. *dec.* 291. *num.* 16. Mantic. *dec.* 352. *num.* 2. Merlin. *decis.* 718. *num.* 12.

Omnisque difficultas cessare videbatur ex subsequta observantia, quæ juxta passim receptam, & quotidianam propositionem (qua nil in foro frequentius) omnium a-
8 ctuum, ac dispositionum, etiam contractuum, seu contrahentium voluntatis est optima interpres, ac interpretationum Regina, dum emptor, seù cessionarius plurium annorum spatio absque aliqua protestatione, vel contradictione fructus ad dictam minorem rationem exegit vivente altero contrahente contra omnem verisimilitudinem; Ideòque dicebam quod aliquo dolo non careret, differendo hujusmodi prætense actionis exercitium post mortem principalis informati contra hæredes non informatos, juxta ea,
9 quæ in proposito præsumptæ solutionis contra creditorem negligentem exigere à debitore vivente informato, ac agentem contra heredes ignaros, habentur apud Merlin. *decis.* 124. *num.* 23. & frequenter *sub tit. de credito.*

Dictamque observantiam absque alia conquestione satis ponderabilem dicebam, nedum quia de jure reputatur opti-
10 ma interpres stantibus tot aliis indiciis, & argumentis, sed etiam ducto argumento à dispositione textus *in d. l. adversus C. de usur.* ubi disponitur quod si creditor per triennium exigit usuras ad minorem rationem, quam conventa sit, sibi præjudicat in futurum; Quamvis enim sub quæstione sit, an dispositio dicti textus locum sibi vendicet in usuris tantum utpotè odiosis, vel etiam in censibus, atque probabilior videatur prima opinio, ut in usuris, non autem in censibus locum habeat ex deductis hinc inde per Capyc. Latr. & Adden. *decis.* 27. Rovit. *Pragm.* 1. *de cens. numer.* 31. & *seqq.* Rota apud Buratt. *dec.* 232. & *decis.* 304. *in fine* apud Cenc. *de cens.* Attamen absque necessitate assumendi hanc inspectionem, dicebam exinde aliquod quoque resultare argumentum cum aliis conjungendum, ex dicta regula, ut
11 *singula quæ non prosunt &c.* ob quam etiam levia, & alias inefficacia in consideratione habentur, quoniam, ut præsertim pluries habetur in materia ultimarum voluntatum, subtiles, ac fragiles funiculi simul juncti, fortissimam constituunt funem aptam retinere naves, & cum qua regula in quæstionibus voluntatis procedendum est, istius substantiam attendendo non autem verborum formulas, ut ibi frequenter, ac alibi pluries.

ANNOT. AD DISC. IX. & X.

Agitur in his discursibus de actione quanti minoris, ob servitutes, & onera quæ in re vendita deteguntur, de qua habetur infra *disc.* 12. 36. & 44. *& sub tit. de Regal. disc.* 30. *num.* 15.

ROMANA VINEÆ PRO CANGIANIS, CUM N.

Casus disputatus coram A. C. credo concordatus.

De actione quanti minoris, quæ emptori competat adversus venditorem ob servitutem; quæ in re vendita detegatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De actione quanti minoris competente emptori, si res detecta est minor.*
3 *Competit, quamvis venditor non esset conscius diversæ qualitatis.*
4 *Venditor debet exprimere defectus sibi notos, & non sufficit expressio generalis sub involucro verborum.*
5 *Etiam qualitas mali vicini exprimenda est.*
6 *Non agit de evictione, vel ad quanti minoris emptor, qui vitium, vel defectum sciebat.*
7 *Ponderantur adminicula, ex quibus probetur venditam esse rem tanquam liberam.*
8 *De statuto Urbis annullante contractus mulierum, quando locum non habeat.*

DISC. X.

Emerunt Cangiani vineam, quam venditor enunciavit 1
cum tribus cancellis francam, liberam, immunem, & exemptam à quocumque gravamine, & servitute, excepto quodam canone ibi expresso, undè cum duo ex dictis cancellis reperti essent obnoxii servituti, quod plures alii vicini retinerent claves, atque per eos ingressum haberent gratia commodioris accessus ad eorum vineas; Hinc emptores judicium instituerunt contra venditorem coram A. C. pro manutentione libertatis rei venditæ aliàs ad damna & interesse, seu ad quanti minoris; Et scribens pro actoribus, fundatam dicebam eorum intentionem per text. *in l. si em-* 2
ptione §. vacuam, & §. finali ff. de action. empti, ubi DD. cum concord. plenè deductis per Surd. *dec.* 155. *n.* 2. *cum seqq.* Gregor. *decis.* 119. *n.* 3. ut scilicèt ob detecta rei onera, seù inferiorem qualitatem actio competat emptori adversus venditorem ad quanti minoris.

Et licèt scribentes in contrarium in eo insisterent, quod per actores non probaretur scientia venditoris, quod scilicèt ipse de hujusmodi servitute notitiam haberet, attento potissimè, quod erat hæres modico temporis spatio rem possidens; Nihilominùs ultrà ea, quæ per causæ Patronum in facto deducebantur circa scientiam satis verisimilem, dicebam istius interventum necessarium non esse ad effectum 3
hujusmodi actionis quanti minoris, pro qua sufficit rem venditam detegi diversæ, ac inferioris qualitatis, quam vendita, seù narrata sit, cum in hoc spectetur interesse seù animus emptoris, qui aliàs tanti non emisset, non curata bona, vel mala fide venditoris, quæ solum spectatur ad effectum rescissionis contractus, seù pro interesse extrinseco, aliisque actionibus ex dolo resultantibus, ut per Aldobrand. *cons.* 19. *n.* 47. & 58. *lib.* 1. Surd. *d. dec.* 165. Cumque emptor, qui nunquàm rem possedit, præsumatur qualitatum rei emptæ ignarus, è converso autem venditor præsumatur conscius, hinc præsumptio huic resistit, ideòque tenetur omnes rei 4
defectus distinctè exprimere, itàut non sufficiat expressio sub involucro verborum, ut cæteris allegatis plenè Aldobrand. *dicto consil.* 19. *n.* 52. *& seq.* Surd. *cons.* 13. *num.* 32. *cum seq. dicta dec.* 165. *n.* 8. Gregor. & Adden. *dicta dec.* 119. *& supra in Romana equi disc.* 8.

Idque adeò verum, ut etiam qualitas mali vicini exprimi 5
debeat, Hodiern. ad Surd. *dec.* 146. *n.* 5. Clarus verò ubi venditor expressit libertatem à quocumque onere, cum unius tantùm exceptione firmante regulam generalem in contrarium, ex deductis per allegatos præsertim Surd. *dict. cons.* 13. & benè Afflict. *dec.* 298.

Scribentes in contrarium dicebant præmissis locum non esse, stante quod ista servitus tanquam patens, nota esset emptori, qui sciens rei defectum, actionem non habet evi- 6
ctionis, vel quanti minoris ad text. *in l. si fundum sciens, Cod. de evict. cum ibi notatis;* Sed motivum nullum habebat facti fundamentum, quoniam hujusmodi scientia non probatur, atque rei evidentia potius ostendebat contrarium, dum dicti portoni claudebantur cum clavibus, quas vendi-